

www.e-rara.ch

**Gasparis Schotti ... schola steganographica, in classes octo distributa,
quibus, praeter alia multa, ... explicantur artificia nova ...**

Schott, Kaspar

Norimbergae, 1680

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-12633>

Classis septima, in qua explicantur varia erotemata steganographica [...].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



CLASSIS

SEPTIMA,

in qua explicantur

Varia Erotemata steganographica, præsertim quæ Jo-
annis Trithemii steganographiam ac Poly-
graphiam concernunt.

*Trithemii
stegano-
graphia
promissa
excitavit
varia bo-
minum ju-
dicia.*



*Joannis Trithemii, Viri integerrimi
atque doctissimi, steganographia olim
curioso orbi promissa, ac paucis per ri-
mulam tantum ostensa, mira sanè ac
oppidò diversa in hominum animis ex-
citavit judicia. Alii enim Viri ingenium ut par-
erat admirantes, ingentibus eum laudibus ad cœ-
lum usq; extulerunt. Alii incredibilia prorsus
atq; impossibilia existimantes quæ promiserat, il-
lum Doctis ac Principibus viris, quibus præcipuè
destinatam dixerat, fenum vendere, & magnifi-
cis verborum bullis laudem inanem ac plausum
qua-*

quarere asseruerunt. Alii denique aut invidia oestro perciti, aut odio intransuersum acti, modis omnibus Virum religiosissimum ac eruditissimum, deq; Litteraria Republica ob plurimos, eosq; doctissimos libros in lucem editos praclarissimè meritum, traducere, ac famam denigrare sunt conati, magum, & malis artibus deditum impudentissimè dictitantes. Nec adhuc desavisse videtur tempestas. Tam enim mira pleraque ac paradoxa, quae citatus Auctor citato in opere promittit, Viris etiam doctissimis, atque in Arte combinatoria exercitatisimis etiamnum hodie videntur, ut illorum aliqua tanquam superstitiosa rejicere, ac confutare non erubescant. Ego verò ab eo tempore, quo Tritheimii Opera sedulo ac frequenter volutare coepi, talem de religione, pietate, integritate, ingenio, doctrina ipsius opinionem animo concepi, ut ipsi nudis ac simplicibus verbis asserenti naturalia esse, & ab omni superstitione aliena quae dicto in Opere tradidit, plus credam, quàm omnibus contrarium sentientium aut inanibus verbis, aut fucatis argumentis. Certus enim sum, illos nunquam citatum opus lectitasse, sed spurium ac sup-

Posititium partum ejus loco inspexisse. Atque utinam nunc copiam haberemus genuina Tritheimii steganographia; aliud judicium, sat scio, vel illis ipsis qui sinisterius de illo & sentiunt, & scribunt, si nullo prejudicio occupati accederent, extorqueret. Ut tamen prudens Lector videat, quanam sint mira illa, qui virum optimum apud nonnullos suspectum reddidère; ipsa ejus verba quæ in Epistola quadam ad Arnoldum Bostium Carmelitam, Virum (ut est in Chronico Spanheimensi ad Annum 1499.) doctissimum, & Tritheimii amicum sincerissimum, de Opere illo à se inchoato, atque ex parte jam tum confecto scribit, audiamus. Quibus deinde varia alia Erotemata, tum ad steganographiam jam dictam, tum ad Polygraphiam dicti Auctoris spectantia subjiciemus.

EROTEMA I.

Quid Joannes Trithemius in sua steganographia tractaverit, aut tractare voluerit.

ANno Dominicæ Nativitatis 1499. (inquit Trithemius in Præfatione Polygraphiæ ad Maximilianum I. Cæsarem, & Chronicon Spanheimense ad citatum annum) sciscitanti per Epistolam Arnoldo Bostio Carmelitæ Gandavensis oppidi, quid novi ederet Trithemius, quibusve studiis occuparetur, respondit in sequentia verba:

§. I. Epistola Joannis Trithemii ad Arnoldum Bostium de sua steganographia.

IN manibus jam habeo grande Opus, quod si unquam fuerit publicatum (quod absit) totus Mundus mirabitur; Cujus primi libri titulus est *Steganographia*. Erunt autem quatuor libri (octo fuisse, alibi facetur ipsemet Trithemius, ut postea videbimus.) Quilibet administris centum capitulis distinguetur. Incepi hoc Opus ad instantiam unius magni Principis, quem nominare non opus est. Quæris, quid hoc Opus docet? Maxima docet, omnibusque, nescientibus stupenda & incredibilia, quæ à sæculo nunquam sunt audita.

Primus enim Liber continet plus quam centum modos occultè scribendi, quidquid velis, sine omni suspitione, sine litterarum transpositione, sine omni timore, ita ut non sit homo in Mundo qui naturali industria scire, vel suspicari quidem possit, quid in meis litteris contineatur, præter eum qui artem novit ex me, vel ex eo quem ego docuero. Verba sunt plana & familiaria, omni suspitione carentia; sed intentionem meam nemo sine arte percipere poterit in æternum, quantumcunque sit doctus. Et est res verè stupenda.

Secundus Liber multa mirabilia continet; per ignem videlicet in hac arte possum mentis meæ conceptum notum facere artem meam scienti, ad quamcunque distantiam, ad centum miliaria, vel plura, securè sine verbis, sine scriptis, sine signis, per quemcunque nuntium:

qui si comprehensus in viâ fuerit, si interrogatus etiam per tormenta durissima, nihil potest fateri de nuntio meo, quia nihil sibi penitus constat de illo. Quidquid occurrat, nuntium meum semper manebit occultum, nec omnes totius Mundi homines, si simul essent congregati, possent illud vestigare virtute naturali. Quod etiam facere sine nuntio, dum volo, possum. Voluntatem quoque meam indicare possum sedenti in carcere artem scienti, etiam longè absens, quantumcunque custodiatur, etiam si tribus milliaribus sub terra sederet. Et hac omnia latissimè & universaliter, quando & quotiescunque voluero, possum, naturaliter, & sine aliqua superstitione, vel adjutorio spirituum quorumcunque. Mira sunt, fateor; sed audi mirabiliora.

Tertius Liber docet artem, per quam possum hominem idiotam, scientem tantum linguam maternam, qui nunquam novit verbum Latini sermonis, in duabus horis docere scribere, & legere, & intelligere Latine, satis ornatè & disertè, quantumcunque voluerit; ita ut quicumque viderint ejus litteras, laudent verba, intelligant Latine composita.

Quartus Liber continet multa stupenda experimenta, sed purè naturalia: mentem videlicet meam indicare possum scienti artem meam inter edendum, vel sedendum cum aliis, sine verbis, sine nutibus, quàm latissimè voluero, etiam inter loquendum, predicandum, ludendum in organo, vel cantandum sine impedimento actionis alterius cujuscunque, ita ut predicando bona & sancta indicem, non verbis, non signis, non nutibus, cuicumque scienti, latissimè, quidquid voluero, etiam clausis oculis. Et alia multa quartus Liber continebit arcana, quæ non sunt in publicum proferenda.

Mirantur hæc omnes qui audiunt, è quibus multi sunt Viri nobiles, atque doctissimi, existimantes ista aut esse impossibilia, aut penitus supernaturalia. His ego, tibi, respondeo, quod multis respondi, multa naturaliter esse possibilia, quæ nescientibus vires naturæ impossibilia, vel etiam supernaturalia videntur. Et ecce coram Deo meo loquor, qui omnia novit, quod ea quæ prædixi miranda, multò sunt excellentiora, profundiora, & majora, quàm ego scribere, aut tu credere possis, & tamen omnia sunt purè, naturalia, sine
de.

deceptione aliqua, sine superstitione, sine magica arte, sine invocatione seu ministerio quorumcunque spirituum. Hac ideo dixerim, ut si forte aliquando rumor ad te pervenerit, me aut scire, aut posse miranda, non me magum dico existimares, sed philosophum. Nam quod Alberto Magno, profundissimo rerum naturalium scrutatori contigit, ut propter miranda quae occultâ virtute Natura operatus est, magus à vulgo sit habitus, mihi sum certus similiter contingere posse.

Si quæris, unde mihi ista, quæ nemo alius novit? audi. Non ab homine, neque per hominem ista didici, sed per revelationem nescio cuius. Cum enim presenti anno (scilicet 1499) quadam vice cogitarem, quid novi possem invenire quod omnes lateret; capi cogitare si ea possem excogitare quæ dixi miranda. Cum post longam phantasmam tanquam de re impossibili penitus desperare, dormitum eâ me nocte reposui, fatuitatem meam ipse mecum deridens, quàm impossibilia querere tentaverim. Eâdem nocte mihi adstitit quidam dicens: non sunt vana, ô Trithemi, quæ cogitasti, quamquam tibi sint impossibilia, quæ nec tu nec alius tecum poteris invenire. Dixique ad eum: Si ergo possibile sunt, dic, obsecro, quomodo fiant. Et aperiens os suum, de singulis per ordinem me docuit, ostendens quomodo fieri, quæ multis diebus frustra cogitaveram, de facili possent. Ecce coram Deo qui non mentior, sed veritatem dico. Neminem ista adhuc docui, quàmvis multi promittentes magna sepe rogârint, præter unum Principem cui scribo, quem de possibilitate artis manifesto argumento feci certiore. Nec decet ista alios scire, quàm Principes, alioquin multa per ea fierent mala, traditiones, deceptiones, fornicationes, & alia quæcumq; vellent homines mali. Sed bene utentes arte, multa per eam bona reipublica facere possent. Possum autem ista omnia docere in omni lingua totius Mundi, quam nunquam audiivi. Hac tibi, Bossi, propterea significare volui, ne me crederes otiosum. Hæc Trithemius.

§. II. Apologia Trithemii pro sua steganographia.

PRædictæ Epistolæ mentionem facit Chronicum Spanheimense ad Annum Christi 1499. qui fuit annus regiminis Trithemi.

Apologia
Trithemii
pro sua ste-
ganogra-
phia.

Trithemii in Abbatis officio decimus sextus, his verbis; Anno quoque pranotato, secundâ feriâ post diem Palmarum, Joannes Trithemius Abbas hujus nostri Monasterii, Arnoldo Bostio Carmelite, Gandavicommoranti, viro doctissimo atque religiosissimo, per litteras sciscitanti quid scriberet, ut vero amico responsurus rescripsit, se in manibus habere magnum Opus Steganographiæ, ad unius Principis petitionem, quod tractaret de quibusdam rebus & artibus occultis, atque mirandis, ab eo noviter inventis, quæ nulli hominum ante hac fuerint cognita, quemadmodum Opus ipsum probat Verum priusquam venisset Epistola Gandavum, Bostius ipse, cui scripta fuerat, pridie Nonas Aprilis, hoc est, quintâ Feriâ post festum Pascha (Trithemio nesciente) ad Dominum migravit. Prior ergo Conventus Gandavi missam Bostio Epistolam aperuit, legit, & quasi pro miraculo ubique divulgavit; quæ brevi temporis spatio per totam Galliam, & Alemanniam, coram multis Principibus & doctissimis viris fuit publicata, rescripta, & maxima omnium admiratione lecta, & pronovo & inaudito miraculo habita. At verò cum nullus, quantumlibet eruditus, earum rerum quæ ibi promittebantur, vel principia, vel rationes intelligere potuisset, ambiguum protulere sententiam. Alii Trithemium hominem divinum; alii predicabant eruditissimum; nonnulli, quibus & intellectus tardior, & voluntas ad temeritatem paratior, magum eum & spirituum ministerio hac agere confirmabant. Sed quàm pura sint naturaliacuncta, quæ in eadem epistola referuntur, ex principio libri Steganographiæ patescit. Hac novitate commoti plerique viri doctissimi, ex ultimis Gallia finibus, videre & alloqui Trithemium, huc venerunt: qui visis libris, & rebus ipsis, quorum famam longè positi audierant, demonstrationeque lucidissimâ quantum deceit à Trithemio assumptâ, famam rebus & veritate longè inferiorem fuisse confessi sunt. Nonnulli etiam longè distantes, nuntios suos cum litteris ad Trithemium miserunt, cupientes rei cognoscere veritatem, quam solâ famâ cognoverant. Horum aliquibus Trithemius ita rescripsit, ut & mirandorum suorum operationem sine superstitione naturaliter intelligerent esse possibilem, & quòd principia ipsius artis, operandiq; per eam tanta mirabilia rationem nescirent. In-

ter eos verò qui hisce de rebus Trithemium per litteras conven-
runt, Vlasus Lusitanus, vir certè doctissimus, tantà subtilitate, tan-
ta eruditione, tantaque varietate argumentorum litteris cum Tri-
themio egit, ut nemo in proponendis questionibus talium rerum eo
perspicacior unquam fuerit à Trithemio compertus. Hæc ibi.

Ejusdem Steganographiæ, ejusdemq; Epistolæ meminit quo-
que Trithemius in Præfatione Polygraphiæ ad Maximilianum I.
Cæsarem, scripta Anno Dominicæ Nativitatis 1508. in qua &
contra Carolum Bovillum Gallum, qui dente mordacissimo car-
pserat illa quorum in citata Epistola mentionem fecerat; sese de-
fendit. Sic ergo scribit.

*Ad memorati Principis & Domini Electoris Philippi Comitis
Palatini, Bavariæque Ducis instantiam, ego Joannes Trithemius,
nunc Abbas Monasterii Sancti Jacobi apud Wircebürg, tunc verò
Divi Martini Præsulis in Spanheim Moguntina Diœcesis, octo my-
steriorum libros in Steganographia scribere cœpi. Me autem in ter-
tio jam libro ejusdem Operis lucubrationem continuante, res conti-
git, quam breviter, si potero, sum dicturus. Anno Dominica Nati-
vitatæ milleesimo quadringentesimo nonagesimo nono, Indictione
Romanorum secundâ, sciscitanti per Epistolam Arnolde Bostio Carme-
lita Gandavensis oppidi, quid novi ederem, quibusve studiis occu-
parer, altera Palmarum die per mercatores ut amico rescripsi, me
habere sub incude novum & mirandum Steganographiæ Opus; &
quid in singulis contineretur libris, per ordinem reseravi. Verùm
priusquam Epistola mea pervenisset Gandavum, Bostius in diebus
Paschalibus è vita migravit ad Christum. Cujus loci Prior litteras
accepit, aperait, legit, promissorumque novitate (ut reor) attonitus,
multis aliis rogantibus legendas & rescribendas communicavit. Hinc
e& factum quòd ipsa epistola mea, brevi tempore, per totam panè Ger-
maniam, & Galliam divulgata, sapiusque à pluribus rescripta mul-
tos etiam doctissimos viros convertit in stuporem & admiratio-
nem, usque adeo, ut quid cum veritate sentire deberent, deme-
hæsitent.*

*Ex his fuere nonnulli qui in dicta epistola pollicitationes constan-
ter asseverarent frivolas, impossibiles atque mendaces, & à me inanis*

Ee gloria

gloria causâ imprudenter excogitatas. Alii verò dicebant: Magna & admiranda pollicetur iste Abbas Trithemius; qua se potest, non aliter quàm demonum ministerio potest, cum Natura metas procùlvideantur excedere: se verò non potest, quis eum dubitabis esse mendacem, & ab omnibus viris bonis & doctis meritò refutandum? Sed absit procùl utrumque à me, quoniam naturalia promissum? Omnium verò incognita mea temerè judicantium maxime temerarius, & iniquissimus rerum aestimator tandem prorupit in medium Carolus Bovillus, natione Picardus; qui cum superioribus partibus Alsatie peragratis, ad me gratiâ hospitii venisset in Spanheim, per Treviros rediturus in Calliam; quâ poteram humanitate ipsum tractavi, & omnia hospitalitatis beneficia, quàm diu meum fuit, hilari vultu exhibui. Cumq; ut fieri solet inter amicos, maxime litterarum studiosos, omnia mea gratissimo hospiti exhibuissem videnda; cum aliis se obtulit etiam memoratum Opus Steganographia, necdum eotempore consummatum. Vidit Bovillus, & obiter legit mente aliunde occupatus, se adinventum mirari dixit, laudavit, nec quo intelligeretur modo, curavit. Unde cum non peteret intelligentia Clavem, nihil eorum qua continebantur ipsâ lucubratione nostrâ, meruit audire, vel percipere. Reversus post hac in Galliam, malum nobis probonore reddidit, & Christiana fœdus amicitia turpiter violavit. Interrogatus enim per Dominum Germanum de Ganay communem amicum, postea Episcopum Aurelianensem, quid apud me reperisset, vidissetque in Spanheim; falsa pro veris, mendacia pro beneficiis rescripsit, damnans & temerariè judicans ea, qua comprehendere intellectu minime valebat. Nam cum doctrinâ sibi palmam invidiâ & mendaciorum falsitate, mendaciis, injuriis & contumeliis multis plenam rescripsit; in qua non intellecta Steganographia mentionem faciens, me pravis artibus deditum, magum & necromanticum false, mendaciter, & nimis injuriosè temerariâ presumptione proclamavit. Cujus mendacissimis injuriis & blasphemis, Deo miserante, brevi taliter sum responsurus, quò intelligat omnis posteritas, & me innocentem, & Bovillum impium, crudelem, & temerarium esse in hac parte mendacem.

Constanter affirmo, veraciter dico, & confidenter in animam meam juro, cum demonibus, pravis ac perniciosis, magicis, vel necromanticis artibus me nullum unquam habuisse commercium; sed omnia & singula, quæ vel scripsi, vel scripturum me sum pollicitus, pura esse, sana, naturalia, & Christiana fidei in nullo penitus adversa: Unde non vereor me a promissa coram viris bonis & doctis, quando & quoties opus fuerit, dare examini; quorum determinationi nullatenus intendo reluctari.

Hæc Trithemius: quæ ideo se retulisse ait dicto loco, ut intelligant omnes, cur à dicti Operis de steganographia editione ad illam diem usque abstinerit, ne videlicet pluribus causam daret similia de se suspicandi. Satius enim judicavit (ut ibidem addit) omnia mirabiliter inventa perpetuo damnare silentio, quàm magicæ vel necromanticæ perniciosæ superstitionis notam falsâ etiam hominum æstimatione incurrere. Nunc ad Erotemata alia.

E R O T E M A II.

Utrum Trithemius Steganographiam suam tantum mente conceperit, an etiam scripserit.

Pater Athanasias Kircherus in Appendice ad Polygraphiam suam novam, Disquisitione I. statuit, steganographiam Trithemii, cujus ipse in citata paulò antè Epistola ad Bostium mentionem facit, non fuisse ab Auctore suo conscriptam, sed mente tantum conceptam: putatque id se evincere posse ex ipsis Trithemii verbis in citata Epistola: Sic autem loquitur Kircherus: *Opus hoc steganographicum nunquam lucem vidisse, sed mente tantum conceptum fuisse, vel ex verbis Trithemii luce meridianâ clarioribus patet.* Addit posthæc verba Trithemii, & glossis suis interpungit, in hunc modum. *In manibus, id est, præ manibus, jam habes opus grande, id est, circa ejus compositionem, in*

qua jam tota mea desudat industria, versor. *Quod si unquam publicatum fuerit; quod absit.* Verba dum de futuro loquuntur, illud neque compositum adhuc, nec ad lucem destinatum fuisse, aperte demonstrant. Pergit etiam ad Operis dispositionem: *Erunt autem quatuor libri; quilibet ad minus centum capitulis distinguetur.* Quæ verba, dum de futuro loquitur, librum mente tantummodò conceptum fuisse, luculenter docent.

Trithemius steganographiam suam scribere ceperat, sed non absoluit.

Hæc sunt P. Kircheri conjecturæ, ex quibus si concludere intendat, Opus Steganographicum Trithemii non fuisse tunc, cum Epistolam illam scripsit, omnibus modis absolutum, me quoque consentientem habet: sin velit, ne quidem ex parte fuisse compositum, sed totum mente tantum conceptum, habet aperte ipsum Trithemium sibi contrarium. Nam primò in memoratu Epistola ait Trithemius: *Incepi hoc Opus ad instantiam magni Principis, &c.* Inchoatum ergo erat. *Secundò*, dum enarrat illa quæ in dicto Opere, & singulis ipsius libris continentur, loquitur in præfati, non in futuro. *Primus enim liber*, inquit, *continet plus quàm centum modos &c.* *Secundus liber multò mirabiliora continet &c.* *Tertius liber continet artem, &c.* Sed hæc duo argumenta infirma sunt, fateor: venio ad fortiora, desumpta ex allata suprâ Trithemii Apologia. Itaque

Tertio, cum in citata Apologia dixisset, scribendo Maximiliano I. Casari, se ad instantiam Principis Electoris Philippi, Comitis Palatini, Bavariæque Ducis, cœpisse scribere octo libros Steganographiæ; subjungit: *Me autem in tertio jam libro ejusdem Operis lucubrationem continuante, res contingit, &c.* Scriptus ergo fuit liber primus, & secundus, & inchoatus ac continuatus liber tertius. *Quarto*, cum in eadem Apologia dixisset se Carolo Bovillo, tanquam gratissimo hospiti, omnia sua exhibuisse videnda; addit: *Cum aliis se obtulit etiam memoratum Opus Steganographia, necdum eo tempore consummatum. Vidit Bovillus, & obiter legit &c.* Si dictum Opus ostendit Trithemius Bovillo; si hic illud vidit, & legit; inchoatum saltem erat, tamen nondum perfectum, ut ipsernet Trithemius sponte fatetur.

Quinto.

Quintò, Sed quid per ambages incedo, cùm via recta ac certissima pateat, quæ ad destinatum me finem ducat? Tomo 2. Operum Joannis Trithemii, editorum Francofurti Anno 1601. in libro 2. Epistolarum dicti Auctoris extat Epistola in ordine quinquagesima prima, scripta ad Rogerium Sycambrum Herbipoli Anno 1507, in qua ipsemet Trithemius ad instantiam dicti Rogerii ex ordine recenset titulos omnium suarum lucubrationum, ad illum usque annum conscriptarum; inter quas numerat suam Steganographiam his verbis: *Magnum post hæc, & nimis arduum Opus Steganographia mirabilis ad inventionem, in octo libros partitendum, scribere sum adorsus: cujus primum quidem librum & secundum ad finem usque perduxì, tertium verò mancum & reliquos omnes dimisi usque in hanc diem animo sepultos, multiplici consideratione persuasus, eum & labor sit magnus, & forsitan retributio parva. Maneat ergo imperfectum sicut jacet, donec aliud persuadeat utilitas. Hoc Opus sic incipit: Antiquissimos sapientes, quos græco sermone Philosophos, &c.* Hæc Trithemius de sua Steganographia. In hunc ergo sensum explicandi sunt alii, qui in catalogo librorum à Trithemio conscriptorum asserunt illum scripsisse octo libros Steganographiæ, inter quos est Joannes Duraclusius Discipulus ejusdem Trithemii. Alia in Epistola, data Coloniae 18. die mensis Julii, Anno 1505. ad Joannem Ca-

Stegano-graphia minor Trithemii.

Eam tibi partem Steganographiæ nostræ minoris, cui titulum dedimus Græcum γλωσσοποιεω, id est, lingua fertilitatem, rescribi fecimus, quam prudens postulasti à nobis: Opus ut scis, arcanum, hætenus nulli visum. Quod eam mittimus lege, quò servetur occultum.

EROTEMA III.

*An steganographia Trithemii sit in
lucem edita.*

*Trithemii
stegano-
graphia an
in lucem
sit edita.*

Non fuisse editam, censet P. Athanasius Kircherus in Polygraphia sua nova Syntagm. 2. cap. 1. & in Appendice ad eandem Polygraphiam Disquisit. 1. probat ex ipso Trithemio. Nam hic in Praefatione Polygraphiæ ad Maximilianum I. Cæsarem, fol. 26. ita scribit: *Quod hanc Bovillanæ temeritatis historiam huic Praefationi meæ interposui, causa rationabilis fuit, ut intelligant omnes, maturo factum consilio, quod hæctenus manet in tenebris Opus steganographiæ sepultum, &c.* Et paulò post: *Satius enim judicavi, omnia mirabiliter inventa perpetuo damnare silentio, quam magica vel necromantica & perniciose superstitionis notam, falsâ etiam hominum aestimatione incurrere. Lateat ergo Steganographiæ in tenebris, nec fiat Bovillanæ societati mendaci communis &c.* Idem in eadem Polygraphia fol. 65. hæc habet: *Quare autem steganographiæ Opus silentio maneat sepultum, satis in Polygraphiæ nostræ principio est dictum, & propterea isthic non fuerat replicandum. Lateat ergo, ne videatur ab ingratis.* Hæc P. Kircherus ex Trithemio. Poterat & addere quæ præcedenti Erotemate circa finem adduximus ex Catalogo librorum Trithemianorum, ab ipso met Auctore ad Rogerium Sycambrum scripto.

Sed hæc aliud non probant, quàm quod dictum steganographiæ Opus lucem non viderit quoad vixit Auctor illius, sive ab ipso, sive ab alio editum. Dubium tamen manet, an post mortem ipsius, uti multa alia ab ipso conscripta, & ab aliis collecta, typis fuerunt subjecta, quæ antea occultata jacebant, ita etiam steganographiæ liber primus & secundus, cum parte tertii quos vidimus ab Auctore adhuc vivente chartæ commissos, lucem fuerint publicâ ab aliquo donati. Ratio dubitandi est quia extant varia opuscula, quæ titulo Steganographiæ Trithemianæ gloriantur.

*Stegano-
graphiæ
varia opu-
scula Tri-
themio ad-
scripta.*

Duo

Duo ego vidi; alterum in quarto, ut vocant, editum Coloniae cum commentariis Joannis Caramuelis admodum adhuc juvenis, in Hispania ab eo conscriptis; alterum similiter, in quarto, editum Darmstadii Anno 1621. hoc titulo: *Steganographia, hoc est, Ars per occultam scripturam animi sui voluntatem absentibus aperiendi certa. Authore Reverendissimo & Clarissimo Viro Joanne Trithemio Abbate Spanheimensi, & Magia Naturalis Magistro perfectissimo. Praefixa est huic Operi sua Clavis, seu vera Introductio, ab ipso Authore concinnata; haecenus quidem à multis multum desiderata, sed à paucissimis visa; nunc verò in gratiam secretioris Philosophiae Studiosorum publici juris facta.* Citata Clavis, quae Operi praemittitur, hanc praefert epigraphen: *Clavis Steganographiae Joannis Trithemii Abbatis Spanheimensis, ad Serenissimum Principem Dn. Philippum, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bavariae, Imperii Electorem.* Huic subjungitur alia adhuc Clavis, cui sequens titulus est praefixus: *Clavis generalis triplex, in libros Steganographicos Joannis Trithemii Abbatis Spanheimensis, ab ipso Authore conscripta, & amatoribus hujus artis gratitudinem declaraturis, & secretò retinentibus communicanda.*

Prima harum Clavium continet duo capita, in quibus nihil aliud agitur, quàm de variis modis occultè scribendi per primas litteras dictionum, vel omnium, vel aliquarum tantum, cujusdam Epistolae, aut Precatoriae formulae, in eum finem compositae à scribente, ut fusè ibidem & distinctè explicatur, idq; vel retento ordine naturali Alphabeti, vel per litteras variè transpositas, juxta dicta supra Classe 3. De hac praxi postea aliquid dicemus.

Secunda Clavis continet tres generales regulas, quae in subsequenti Steganographiae artificio legendo & intelligendo servandae sunt. Prima consistit in permutatione vocalium cum consonantibus; secunda in permutatione mutua litterarum Alphabetariorum inter se, hoc est, in varia illarum metathesi seu transpositione: tertia in secreti sermonis divisione in varia membra, ut in duo, in tria, in quatuor, &c. accipiendo ex singulis ordine primò primas, deinde secundas, tum tertias, &c. litteras, illasque in voces barbaras ac nihil significativas coordinando.

Steganographia ipsa, quæ constat duobus libris integris, & tertio mutilato, magnam primâ fronte impietatis speciem præ se fert. Ne enim magnum Steganographiæ mysterium quod in illis contineri dicitur (inquit ipsemet Auctor in Præfatione) in aures vulgarium imperitorum aut pravorum hominum veniat, ita illud exoticis variorum spirituum vocabulis, conjurationumque portentosis verbis conscriptarum formulis, aliisque prorsus ænigmaticis locutionibus referfit, ut nemo non eorum qui in arte imperiti sunt, superstitiosum ac planè perniciosum judicet Librum.

Alterius Opusculi meminit P. Kircherus in Polygraphia sua Syntagm. 2. cap. 1. Francofurti impressi sub Trithemii nomine, Steganographiæ titulo tripudiantis, sed talis (subjungit P. Kircherus) ut qui eum exactiori trutinâ probè expendit, is vel primâ fronte sub eo nescio cujus supposititii partûs vestigia latere subolfaciat, cum in eo nulla Trithemianæ Steganographiæ forma, nec modus, aut ratio exprimat, multaque in eo continentur, quæ in Virum religiosum doctumque cadere non possunt. Unde concludit, dictum librum Trithemii partum non esse; & omnia quæ in ipso continentur, esse vana.

Meminere præterea Steganographiæ Trithemii *Cardinalis Bellarminus* in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & *Antonius Possevinus* in tom. 2. Apparatus sacri, aliique qui Scriptorum variorum Catalogos ediderunt. Et Bellarminus quidem ac Possevinus ajunt, Trithemii Steganographiam esse plenam perniciosis dogmatibus ad magiam pertinentibus, non naturalem, sed vetitam. Addit Bellarminus, Trithemium id agnovisse, & confessum esse. Quod ego tamen nullibi apud Trithemium, cujus Opera diligenter evolvi, deprehendi. Verum quidem est, uti ex Epistola Trithemii ad Bostium constat, Trithemium noluisse illam publicare, ne impii illâ abuterentur ad tegendas suas fraudes, prodiones, adulteria, aliaque pessima consilia, non artis, sed operantium vicio: protestatur enim, quoties illius meminit, nihil superstitiosi, nihil magici, nihil quod ad malas artes pertineat, in illa contineri, sed omnia esse
na-

naturalia, christiana doctrinae minimè contraria, adeoque licita. Aliam igitur, quàm genuinam Trithemii Steganographiam viderint citati Auctores, Trithemii tamen nomine e mentito palliatam. De his ergo Trithemii nomine editis Steganographiis quid sentiendum, nunc discutimus.

EROTEMA IV.

Quid sentiendum de Trithemii Steganographia, & de Steganographiis sub ipsius nomine editis.

EX dictis hactenus constat primò, Steganographiam fuisse ^{Trithemii} ex parte saltem ab ipso Trithemio conscriptam: secundò, ^{Stegano-} non unam, sed varias Trithemii nomine palliatas extare Stega-^{graphia} nographias. De his ego sequentia statuo, & ^{nihil malè}

Ajo I. Steganographiam ab ipso Trithemio conscriptam, ^{contine-} & non absolutam, sed post librum primum ac secundum, ^{bat.} partemque tertii maneam relictam, uti Erotemate 2. vidimus, nullam superstitionem, nullam magicam aut diabolicam operationem, nullam christiano homini vetitam doctrinam continere. Ita constanter affirmatum in Epistola ad Bostium, tum passim in Polygraphia, & ubicunque occasio se se offert, ipsemet Trithemius; qui fuit Vir non tantum ingenio singulari, acri iudicio, & omnigenâ doctrinâ præditus, sed eximie religiosus, instituti sui regularis tenacissimus, erga Deum ac Sanctos piissimus, ut omnes qui vitam & res ab eo gestas conscripsere, fatentur. Quis ergo nisi aut nullius, aut perversi iudicii existimet, eum vel nescivisse discernere licita ab illicitis, naturalia à superstitiosis; vel perversa ac noxia dogmata voluisse suis Lectoribus, præsertim Viris Principibus, & singularibus amicis, obtrudere? Certè ex ejus Antipalo, ex octo Quæstionibus ad Maximilianum I. Cæsarem, & aliis ejus operibus constat, eum fuisse acerrimum hostem, &

fortissimum malarum artium insectatorem. Ajunt fuisse curiosum, & novarum artium ac scientiarum amantem. At fuit pius, fuit ingeniosus, fuit prudens, fuit doctissimus, fuit in summa apud Principes & sui ævi doctos omnes æstimatione, qui bonum à malo, licitum ab illicito, naturale à supersticioso discernere poterant, & perverfas ejus doctrinas, si quas effudisset, deprehendere, conceptamque de ipso opinionem non solum deponere, sed in summum odium convertere. Nos hæc videmus, Trithemius non videbat? non præcavebat?

*Trithemii
stegano-
graphia
non fuit
scripta ver-
bis claris.*

Ajo II. Dictam Steganographiam non verbis planis ac claris fuisse conscriptam, sed miris & ingeniosis ænigmatibus, graphis, metaphoris, allusionibus, & obscuritatibus dedita operâ obvelatam, tum ut ne vulgò ab omnibus intelligeretur, tum ut curiosorum ingenium, si quando in illam incidissent, vexaretur. Conjicio hoc ex ejusdem Auctoris Polygraphia, quam adeo obscuris, aptissimis tamen & ingeniosissimis circumlocutionibus, dum singulos libro explicare præ se fert, implicavit, ut vix, aut ne vix quidem ab ullo vel ingeniosissimo intelligi potuisset, nisi ipsemet deinde in gratiam Maximiliani Cæsaris singulorum librorum Clavem adjecisset. Idem ergo in Steganographia factum ab ipso, quis ambigat? Hæc causâ fuit, cur invidi qui eam vident, suspectam apud incautos reddiderunt.

Ajo III. Si quæ Steganographia nomine Trithemii edita extat, quæ apertè mala, supersticiosa, magica continet sive in verbis, sive in signis; supposititia est. Patet ex dictis Assertionem I. Et talis fortassè fuit quam vidit Bellarminus, Possëvinus, & alii, qui suprâ allatam censuram in Trithemii Steganographiam fulminant.

Ajo IV. Si quæ extat, in qua mentio fit variorum spirituum diurnorum, nocturnorum, solivagorum, contumacium, benevolorum, &c. variarumque eorum comitum ac ministrorum, nec non variarum peregrinis ac nihil significantibus verbis conceptarum adjurationum, quibus dicti spiritus advocantur, ablegantur, constringuntur; non continuo sequitur eam suppo-

supposititiam esse, multoque minus esse supersticiosam ac magicam. Nam talis est quam præcedenti Erotemate 3. Darmstadii editam fuisse diximus; quæ tamen nihil omnino superstitionis aut veritæ magicæ continet, sed spirituum nomina, loca, officia, ænigmatica loquendi formulæ, barbara & nihil significantia, verba per variam litterarum metathesin procreata, ideo adhibentur, ne alii quàm qui aut ore tenus, aut per Clavem ab Auctore, aliove arte sciente instructi sunt, mysteria intelligant, iisque abutantur. Similibus loquendi formulis utitur Trithemius in sua Polygraphia (quarum nonnullas infra afferemus) quas nisi per Clavem adjunctam exposuisset, nec intelligi à quoquam potuissent, ne legi sine sinistra de Auctore concepta opinione; cum tamen certissimum sit, & apud omnes in confesso, nihil eam mali ac perniciosi comprehendere.

*Stegano-
graphia
Darmstadii edita
sub nomine
Trithemii,
nihil male
continet.*

Ajo V. Alterutra illarum quas legi, aut illa inquam quæ Colonia, aut quæ Darmstadii prædiit, supposititia est. Nam valde inter se discrepant. Certissimum interim est, Caramuelis expositionem Coloniensi editioni adjunctam, esse omnino incongruam, & ne à longè quidem Trithemii artificium, quod in Epistola ad Bostium insinuat, attingere, ut legenti cuivis vel mediocriter docto constabit.

Ajo VI. Si Darmstadianæ editionis Steganographia tractat in singulis libris illa, quæ Trithemius in Epistola ad Bostium asserit à se tractari, probabile est, verum ac genuinum ejusdem Trithemii partem esse. Sapit enim stylum & genium Trithemii quem in Polygraphia ostendit, dum doctrinam suam Auctor in illa traditam variorum spirituum vocabulis, exoticorumque vocabulorum obscuritatibus obvelat. Simplicissimi enim ingenii, aut certè angustissimæ conscientiæ eum esse oportet, qui existimet eum loqui de veris spiritibus, docereque adhibendas veras adjurationes, vereque spiritus vocatos advolare, mandata acceptare, ad absentes deferre, referre responsa, similiaque quæ ibi insinuantur, præstare. Spiritus Principes quorum meminit, sunt signa quibus varii operan-

di modi inter se discernuntur, & in litteris ad absentes artis conscios scriptis mittuntur, ut sciat quo modo secretum tegendi fuerit usus steganographus, & quo sibi ad idem detegendum sit utendum. Spiritus ministri & comites, sunt litteræ Alphabetaria, quarum vel transpositione variâ, vel vario ordine secretum regitur ac retegitur. Diurni Spiritus sunt litteræ, quibus Epistolæ aut narrationes apertæ, & nullum secretum continentes scribuntur; nocturni, litteræ quibus secretus conceptus exaratur. Adjurationes sunt regulæ & præcepta, in singulis operandi modis observanda. Aliæ obscuræ loquendi formulæ, & quæ superstitionem aliquam præ se ferre videntur, adhibentur ad crucianda curiosorum ingenia. Similia de similibus in eadem Steganographia occurrentibus dicenda.

Ajo VII. Si in tribus dictæ Darmstadianæ editionis libris tractantur illa, quæ in utraq; Clavi præfixa insinuantur; illegitimus sunt partus, & à Trithemiana Steganographia longè diversus. Nam ut constat ex Epistola ad Bostium, Liber primus Trithemianæ Steganographiæ *continet plus quàm centum modos occultè scribendi, quidquid velis, sine omni suspitione, sine litterarum transpositione, sine omni timore, ita ut non sit homo in Mundo, qui naturali industriâ scire, vel suspicari quidem possit, quid in litteris contineatur, &c.* Alii verò libri quid contineant, patet ex eadem Epistola. At verò si in dictis tribus libris procedit Autor juxta regulas in dictis Clavibus traditas; aut omnia, aut pleraque fiunt per litterarum transpositiones. Tres enim regulæ præscribuntur in Clave secunda seu generali: prima consistit in permutatione vocalium cum consonantibus, idque variis modis ibidem explicatis: secunda, in litterarum Alphabetariarum metathesi, scribendo b pro a &c. tertia in Divisione secreti sermonis in varia membra, certum litterarum numerum continentia, ex quorum uno accipiatur in scribendo una littera, ex altero altera, ex tertio tertia, &c. Primæ autem Clavis modi omnes, exceptis aliquot prioribus, in litterarum transpositionibus fundantur. Nonnullos modos postea afferemus.

Ajo VIII. Quid in singulis Darmstadianæ editionis libris singulisq; eorum capitibus tractetur, mihi certò ac distinctè non constat; unde an legitimus sint Trithemii partus, nec ne, dijudicare nequeo. Nam cum operandi modus, qui in singulis capitibus præscribitur, præcipuè contineatur in conjurationibus Spirituum, ut ipsemet Auctor fatetur; hæ autem è barbaris & nihil significantibus verbis concinnatæ sint; omnem diligentiam ac studium meum (quæ ingenii mei imbecillitas est) in illis intelligendis ac interpretandis eluserunt.

Ajo IX. Probabilius mihi est, dictam Darmstadianæ editionis Steganographiam, esse suppositiciam, ac minimè Trithemianam. Conjecturas has habeo. Primò, quia doctrina Steganographiæ non debet discrepare à doctrina quam Claves insinuant: hæ autem non insinuant doctrinam quam Trithemius in Epistola ad Bostium promittit, ut vidimus; ergo nec illa. Secundo, quia si vera esset Trithemii Steganographia, optimè de Litteraria Republica meritis fuisset, qui illam edidisset, ideoque nec nomen suum reticuisset, & unde, à quo, & quà occasione ad se devenisset, non indiligenter exposuisset. Horum autem cum præstiterit nihil, suspicionem non levem movet, deceptoris notam incurrendam eum detinuisse. Omitto alias conjecturas. Si quid certius posthac occurrerit, communicare non omittam. Interim videri posset, esse quidem legitimam Trithemii Steganographiam, sed valde corruptam. Certè secunda Clavis corruptissimè est impressa,

E R O T E M A V,

*Quid de prima Clave Steganographia Trithemio
adscripta sentiendum; & quod scribendi occultè arti-
ficiam contineat.*

DUæ ut dixi Erotemate 3. Claves Trithemianæ Steganographiæ circumferuntur. Prima in duo dividitur capitula, vel potius libellos non exiguos, & continet varios, nec parum ingeniosos occultè scribendi modos; quos ego diversos esse existimo à modis in ipsa Steganographia Trithemiana comprehensis: unde non tam Clavis Steganographiæ à quoquam conscripta, quam nova Steganographia esse videtur. Qui diceret, esse minorem illam Trithemii Steganographiam, cuius memini in fine Erotematis secundi, non malè fortassis diceret: Quod inde quoque confirmatur, quòd si germanica secreti conceptus verba, sub latinis verbis latentia ritè colligantur; antiquæ non modernæ linguæ Teutonicæ vocabula consurgant. Quare qui dictam Clavem Darmstadii edidit, artificium sub ea latens non intellexit, quoniam verba germanica antiqua, quæ in antiquo exemplari reperiebantur, corruptis, & in germanica moderna convertit. Sed ut hæc ita esse constet, nonnullos scribendi modos ex illa depromptos proponamus.

*Clavis Steganographica Trithemio attributa
varii modi occultè scribendi.*

§. I. Primus Modus occultè scribendi, ex Clave Steganographiæ Trithemio adscripta.

Primus Modus fit hoc pacto. *Primò*, Secretum alteri absenti significandum, paucis verbis conceptum, sive Latinis, sive Germanicis, scribitur in charta separata. *Secundò*. In charta ad absentem mittenda scribitur latine Epistola, aut quævis alia narratio, cujus verba ita disponuntur, ut singulorum primæ litteræ singulas secreti litteras contineant, hoc est, ut primum narrationis vocabulum incipiat à prima littera secreti, secundum à secunda, tertium à tertia, &c. Sed rem exemplo declaro.

Volo per litteras significare amico absenti hæc verba:
 Gädber getrüwer / du wollest uf neß mantag gerüst sin / so
 du allerbäst verinagst / und umb die fünf unfer an der Lantpor-
 ten warten: da willen wir mit unserm gezüg erscheinen.

Ad hoc secretum sine suspitione significandum per litteras,
 scribo, ac mitto absenti amico sequentem orationem latinam,
 per modum formulæ precatoriæ scriptam. *Lucidum jubar eter-
 ne beatitudinis, excellentissime rex, gubernator & tutor robustis-
 sime universorum virtuosè viventium, exulum refugium debi-
 tum, virtus, unanimitas, vinculum omnium, latitia lugen-
 tium, exultatio sancta tristium, virtus fragilium, nutritor egen-
 tium, salusq; tribulatorum, miserorum adjutor, nobilium tri-
 umphator, administrator gratiarum; gubernator & rege vitam
 servorum tuorum, sanans infirmitates nostras. Salvator omnium,
 decus viventium, animarum lucidissimum lumen, esurientium re-
 fugium, benignissime amator servorum tuorum, virtutum eter-
 ne remunerator, mitis animarum glorificator servientium tibi:
 vivifica nos, Domine, ut moribus bonis decorati jugiter exultemus.
 Fortitudo vera, nos fortifica, ut nitore sanctitatis efficiamur re-
 novati. Adjura nos, Deus; eterne redemptor, libera amato-
 res nominis tui; peccatum omnibus remitte, tentationes extingue
 nocentes; vitam virtuosam amoremq; rectitudinis tribue exoran-
 tibus nobis. Deus altissime, vere vivificator infirmantium, lu-
 men lugentium, exaudi nos, ut vitam justam rectamque merea-
 mur jugiter tenere. Vivifica nos, Salvator, & rex misericor-
 dissime; glorificator esto zelantium veritatem, gaudeamusque
 aeterno regno sublimati; indulge noxas, extermina nocentes.
 Amen.*

Hujus orationis seu formulæ precatoriæ si singulorum ver-
 borum primas litteras exscribas, & in verba componas, inve-
 nies verba germanica paulò antè proposita. Debet tamen
 diphthongus *e* tribus in vocabulis sumi pro *e*.

Anno.

Annotationes.

I. **E**x his patet, ineptè editorem. Clavis prædictis verbis germanicis substituisse hæc; Lieber getrewer / du wöllest auff nächst montag gerüst seyn / so du allerbest vermagst / und umb die 5. unser ander Landpforten warten / da wöllen wir mit unserem gezeüg erscheinen.

II. Errores nonnulli in præcedentem latinam orationem irreperant typhoteta vitio; quos sustuli.

III. Hic modus secretè scribendi ingeniosus quidem est, sed minime tutus, quia facile deprehendi potest artificium etiam à minus industrio. Tametsi autem facile legatur secretum hac ratione scriptum, non aequè tamen facile scribitur, quia valde labriosum est semper convenientes ad propositum dictiones reperire, quæ ritè cum antecedentibus & consequentibus cohereant.

IV. Variari tamen multis modis potest, & reddi securissimus. Nam potest adhiberi ad secretum significandum prima, tertia, quinta, septima &c. solum linea narrationis, omissis intermediis: aut secunda, quarta, sexta &c. ommissa primâ, tertiâ, quintâ, &c. Item potest incipi ab ultima littera secreti, eaque significari primâ narrationis litterâ, & penultima illius secundâ hujus, antepenultima illius tertiâ hujus, &c. Alias variandi præses excogitabit sagax lector.

V. Narratio aperta scribi potest quocunque idiomate: secretum quoque concipi & scribi in separata charta potest omnibus illis idiomatibus, quæ utuntur litteris Narrationis apertæ. Itaque

Nescienti linguam Latinam, Italicam, Hispanicam, Polonicam, &c. scribere possum illis linguis, ut intelligat quid scribo, si videlicet secretum proponam in lingua ab illis distincta, dummodò absens cui scribo, intelligat illam linguam in qua concepi secretum.

Item nesciens aliquam linguam, potest intelligere narrationem aut epistolam illâ linguâ scriptam, si nimirum ex illa colligat secretum sub ea latens.

§. II. Secundus Modus secretè scribendi,
ex Clave Steganographiæ Trichemio
adscripta.

Secundus Modus consistit in eo, ut non singularum Epistolæ aut Narrationis apertæ vocum primæ litteræ exprimant singulas secreti conceptûs litteras, ut in præcedenti Modo factum est, sed solum vocum alternarum, hoc est, ut primæ vocis prima littera exprimat primam secreti litteram, & secunda vox transiliatur, assumaturque vox tertia, tum quinta, septima, nona, &c. manentibus intermediis vocibus à significandi munere vacuis ac liberis. Et hic modus securior est quàm præcedens, minûsque periculi habet ut legens Epistolam seu Narrationem, deveniat in secreti cognitionem. Potest tam Secretum, quàm Epistola seu narratio scribi in quovis idiomate. Ponamus exemplum in secreto primùm Germanico, deinde Latino, & utrumque significemus narratione Latinâ. Utrumque exemplum Trichemii, cum utraque narratione, valde corrumpit, & verba vel mutavit, vel vitiosè transposuit, qui librum edidit, quia nimirum artificium non intellexit.

Primum exemplum.

Sit itaque hoc secretum Germanico idiomate alicui absentis denuntiandum; Lieber getrüber: Brenger diß bress hatt etwäß mißhandelt: ist unser besel/ du wollest in gefenglich behalten uf unser Zucommen.

Ad hoc secretum prædicto secundo Modo explicandum sub narratione manifesta Latina, scribatur ac mittatur absentis sequens oratio, seu precatio. *Liberanos, Jesu dulcissime, extrema salus beatorum spirituum, & nostros reatus indulge, gemitusq; pauperum exaudi; mitiga tribulationes nostras, renova mentis vetustatem, morbos vitiorum sana, virtutes tribue, exules suscipe, reosq; absolue. Bone Jesu, remitte misericorditer excessus quoslibet*

nostros, quoniam graviter peccavimus, & saepe re lapsi sumus. Dulcissime Salvator Jesu Christe, salva nos; benignus esto rogantibus Jesum, & nos famulos tuos supplices conserva. Homines sumus, amantissime Jesu, tuam legem transgredientes. Misericorditer erue nos tu altissima virtus, quoniam vita nostra assidue infelicitati subjecta corrumpitur. Miserere nostri Jesu Christe Salvator; respice humilitatem fidelium animarum, & ne permittas diutius nos errare in luto securitatis, tentationis perniciosissima. In amore seculi male turbati, vitiis dediti, nostram parvipendimus salutem, mox evocandi ad rationis examen. Benigne Creator, esto propitius famulis tuis, & quantocyus libera nos. Decepit nos vanitas mundi: viam namque veritatis deseruimus, & dulcissimum lumen animarum. Luto infixos erue, quoniam salus nostra tu es, in tuoque nomine salvabimur. Gaudium indeficiens, & sempiterna felicitas, tu es vita nostra, Sanctorum gloria, Angelorum latitia, societas justorum perfectissima, Creator, Salvatorque humani generis. Benignissime Jesu, exaudi nos humiles clamantes ad te; libera nos de presenti & futuro naufragio, ut sine fine vivamus. Ultimam respicias nos miserabiles servos tuos exulantes, qui redemisti nos. Zelati sumus vias tuas; Conserva nos omnipotens Deus, majestas infinita, miseratio incircumscripita; esto protectio nostra perpetua. Amen.

Secundum Exemplum.

SIterum denuntiandum per litteras alicui absenti hoc secretum Latinum: Hac nocte post XII. ventiam ad te circa januam qua ducit ad Ortum, ubi me expectabis: age ut omnia sint parata.

Quod ut fiat artificio quod hic explicamus, componatur sequens oratio hortatoria, in qua alternarum vocum prima littera, sint litterae secreti. Humana salutis amator, qui creavit omnia, nobis indixit obedientiam mandatorum; cui omnes tenemur obedire & obsequi. Premium sanctae obedientiae erit sempiterna felicitas timentibus Deum. Xristi obedientiam, in omnibus imitari studeamus, ut vitam aeternam promissam nobis

nobis mereamur ingredi cum Angelis per misericordiam Dei. Agamus penitentiam dum possumus; tempus vita est brevissimum; si tunc mors imparatos offendet; repente negligentes consumet; Judicium animas transmittet. In penitentia agenda, fratres, non tardetis: velociter enim ad vos mors veniet, quam nemo vestrum diu evadere potest. Dies ergo vestros transeuntes conficite, penitentiam inchoate cum tempus habetis. Ad quid diutius negligitis? O mors rerum horribilium terribilissima, quam velociter nos miseros consumis! Vester incolatus brevissimus est iudicio obnoxius; mors omnes examini submittit. Exaudi nos Christe, piissime Salvator, nobisque penitere cupientibus esto propitius. Concede nobis timorem & amorem tuum, benignissime Redemptor; indulgentiam peccatorum supplicantibus tribue. Alme Creator generis humani, exaudi nos, veniam nobis tribuens scelerum. O Pater misericordissime, esto nobis misericors; infirmitatem nostram adjuva Clementissime; succurre misericorditer infirmis animabus nostris, quoniam tui sumus. Pater indulgentissime, animabus fidelium requiem concede, Angelis conjunge; timentibus te adesse digneris.

Annotatio,

Qui Clavem edidit, non intellexit artificium, ut dixi, nam orationis utriusque verba corrupit, aut transposuit; & secretum utrumque perperam proposuit. Germanicum sic apud ipsum stat: Dieber getrewer: Bringer dieseß brieß hat etwaß mißhandelt. Ist unser befehl/ du wölest in getänglich behalten auff unser zukommen. Latinum verò sic: Hac nocte post duodecimam veniam ad te circa januam, qua ducit ad Ortum, ubi me expectabis. Age ut omnia sint parata.

§. III. Tertius, & aliquot alii sequentes Modi
secretè scribendi, ex prædicta Clave de-
sumpti.

Tertius Modus adhibet similiter ut præcedens secundus,
Gg 2 alter.

alternas Narrationis apertæ voces ad significandum secreti litteras; sed in hoc differt ab illo, quòd primâ voce omisâ assumatur secunda, tum tertiâ omisâ assumatur quarta, sexta, octava, &c. omisâ intermediis. Exemplum vide apud Auctorem, quod tamen editor libri more suo corrumpit.

Quartus Modus primâ dictione in aperta Narratione à secreto vacante duas mox occulto seu secreto servientes recipit, & periodo aliquâ Narrationis completâ similiter unam vacantem adjungit, ita videlicet, ut verbi sequentis prima dicitio à secreti significatione sit vacua. Exemplum quod apud Auctorem est, similiter corrumpit enormiter editor libri.

Reliqui subsequentes modi, usque ad decimum septimum, similibus perficiuntur praxibus: nam in aliquibus vacante unâ dictione Narrationis, assumuntur subsequentes tres, quatuor, quinque, sex, septem, octo, &c. in aliis vacantibus duabus, tribus, quatuor, quinque, sex, septem, octo, &c. assumitur ad significandum nunc una, nunc duæ, nunc tres, &c. Ex quo patet, omnes hos Modos non esse aliud quàm variationes primi Modi. Præter has variationes, multæ aliæ excogitari possunt. Omnes sunt ingeniosæ quidem, sed laboriosæ. Omnes faciles sunt ad legendum secretum, non verò ad scribendum.

Sequentes Modi à decimo septimo usque ad finem primi capituli in eo differunt à præcedentibus; quòd variâ litterarum Alphabetariarum metathesi utantur: nam pro littera secreti assumunt in Narratione aperta vocabulum quod incipit nunc à *b*, nunc à *c*, nunc à *d*, &c. Unde tot oriuntur variationes, quot litterarum transpositiones fieri possunt. Sunt hi modi omnes valde securi, sed difficiles, tum ad legendum, tum ad scribendum.

Omnes quoque secundi Capituli modi in varia litterarum, à quibus aperta Narrationis voces incipiunt, transpositione, differente tamen à præcedentibus, consistunt. Judicet jam Lector, an operæ pretium sit, tam insanum subire laborem ad secretum
regen-

tegendum, cum alii faciliores suppetant. Fateor tamen, omnibus his modis, primo fortassis excepto, convenire exactissimè id quod Trithemius in primo Steganographiæ suæ libro promittit: carent enim revera, præsertim si aperta Narratio instituat per modum Epistolæ, omni suspitione latentis secreti, sine litterarum transpositione quæ appareat, aut deprehendatur ab ignavis artificii: verba sunt plana, familiaria, & suspitione carentia. Mirum ergo videri merito queat, quod P. Kircherus asserit in Appendice ad Polygraphiam suam, Disquisit. i. ea quæ Trithemius in lib. i. Steganographiæ promittit, non absona esse à communi Steganographorum artificio, eorumque non exiguam partem se jam in Polygraphia sua mundo exhibuisse; dubium tamen esse, utrum verbis ejus supra ex Epistola ad Bostium relatis circa librum primum Steganographiæ ipsius respondeant. Mihi enim videtur abundè respondere promissis Trithemii illa, quæ supra Classe i. ex lib. i. Polygraphiæ retulimus, & quæ hoc Erotemate adduximus, si citata Clavis fuit à Trithemio scripta. Nec dubito quin plura similia & ingeniosiora scripserit in lib. i. Steganographiæ.

E R O T E M A VI.

An, & quomodo fieri possit, ut quis per ignem manifestet mentis suæ arcanum absenti ad quamcunq; distantiam, sine verbis, sine scriptis, sine signis, per quemcunque nuntium, & sine nuntio.

Ioannes Trithemius in Epistola ad Bostium, loquens de mirabilibus quæ in secundo Steganographiæ suæ libro cōtinebantur, ita scribit, ut supra vidimus: *Secundus liber multò mirabiliora continet; per ignem videlicet in hac arte possum mentis meæ conceptum notum facere artem meam scienti, ad quamcunque distantiam,*

ad centum milliaria, vel plura, secure, sine verbis, sine scriptis, sine signis, per quemcunque nuntium: qui si comprehensus in via fuerit, si interrogatus etiam per tormenta durissima, nihil potest fateri de nuntio meo, quia nihil sibi penitus constat de illo. Quidquid occurrat, nuntium meum semper manebit occultum, nec omnes totius mundi homines, si simul essent congregati, possunt illud vestigare virtute naturali. Quod etiam facere sine nuntio, dum volo, possum. Hæc & alia Trithemius.

P. Athanasius Kircherus in Appendice ad suam Polygraphiam Disquisit. I. ait, multa in hoc verborum contextu reperiri prorsus contradictoria, & impossibilia. Nam impossibile putat, per ignem significari sine signo aliquid posse absentibus, cum ignis sit signum quoddam: Quare tamen si per ignem significari aliquid absenti queat sine litteris & scriptis: sine signis tamen, quæ litteris & scriptis æquivalent, id fieri haudquaquam posse autumat. Ex quo infert, in hac Trithemii pollicitatione inconsideratam quandam assertionem latere. Non minus impossibile putat idem P. Kircherus, aliquid absentibus per ignem significare per quemcunque nuntium: si enim per ignem, inquit; quomodo per nuntium aut tabellarium, cum manifestationes per ignem factæ nuntio opus non habeant? Ex quo iterum infert, hæc & similia inconsideratâ quadam scribendi ratione à Trithemio dicta fuisse, voluisseque solum dicere, posse se per ignem absentibus in hac arte exercitatis notum facere mentis suæ conceptum, ad quamcunque distantiam, sine verbis & scriptis; voces verò, *sine signis*, ad alium quempiam modum, quo litteris tantum steganographicè adornatis, sine signo externo per ærem transmissis nonnulla significantur, referri debere.

Ego existimo, non solum possibile esse quod Trithemius citatis verbis promittit, sed etiam facile, atque ab ipso & aliis non semel practicum, & à quovis nostrum practicabile. Verba Trithemii sunt: *per ignem possum mentis meæ conceptum notum facere artem meam scienti, ad quamcunque distantiam, sine verbis, sine scriptis, sine signis, per quemcunque nuntium, &c.* Sensus est: *possum per ignem mentis meæ conceptum notum facere absentibus,*

sine

sine verbis, sine scriptis, sine signis per ignem factis. Vel, *sine verbis, sine scriptis, sine signis apparentibus.* Scribatur enim vel in charta vacua, vel in ipatiis inter duas lineas atramento scriptas vacuis, mentis quodcunque secretum succo aliquo ex illis, quos supra Classe 3. cap. 1. §. 6. retuli, quibus si scribatur, litteræ non comparent, nisi charta igni admoveatur: tradatur charta ejusmodi succo exarata cuicunque nuntio, mittaturque ad quantumvis distantem artis ejusdem scribendi conscium; hoc casu nec nuntius scit secretum in charta contentum, ideoque revelare non potest; nec litteræ ullæ aut vestigia ejusdem secreti apparent in charta, ideoque intercipienti litteras non innotescit: quamprimùm verò absens acceptas litteras ad ignem applicat, notum fit ipse secretum per ignem, sed sine verbis aut signis per ignem à scribente factis, aut chartæ impressis. Verissima ergo est Trithemii promissio. Securus etiam fortassis tunc erat iste modus, quia aut nullis aliis, aut paucis notus. Paradoxus denique est, tametsi facilis (neque enim omne quod paradoxum, difficile & arduum sit oportet) quoniam antea non erat notus, nec aliter per ignem Steganographia exercebatur, quam per signa igne ipso edita.

Si secunda explicatio admittatur, quòd loquatur Trithemius de litteris & signis non apparentibus; multa exempla referemus Erotemate 7. in quibus eadem praxis elucet. Et hanc explicationem admittit etiam P. Kircherus, ut ibidem §. 1. in fine referemus.

Sed objiciat quispiam, Trithemium de illo suo loquendi modo scribentem addidisse, nuntium seu secretum suum, quod absenti per nuntium indicare vult, semper manere occultum, quidquid etiam occurrat; nec omnes totius mundi homines, si simul essent congregati, posse illud investigare virtute naturali; non ergo loquitur de descriptione per prædictos succos, quoniam virtute naturali potest secretum arte illâ scriptum investigari. Respondeo, aut modum illum per succum scribendi fuisse Trithemii tempore incognitum aliis, aut Trithemium putasse eum esse aliis ignotum, & sibi primùm in

mentem venisse. Sed ut ut hæc se habeant, poterat Trithemius succo illo suo scribendo tam variis modis occultare secretum, ut quamvis ab aliis quam ab eo, ad quem scribebat, igni admota fuisset Epistola, & characteres apparuissent, legi tamen aut intelligi ab iis nequivissent.

Objiciat alius, eundem Trithemium loco eodem asserere, posse se idem quod antea promiserat, facere sine nuntio, si velit, nempe per ignem sine verbis & signis absenti ad quamvis distantiam significare mentis suæ arcana: ergo non loquitur de ulla descriptione chartis commissa; hæc enim sine nuntio ad magnam distantiam mitti absenti non potest. Respondeo, Trithemium solum asserere, posse se per ignem sine nuntio manifestare absenti arcana mentis, non verò addere se id posse sine verbis & signis, aut ad magnam distantiam. Licet igitur hoc ultimum fieri fortassis non possit, primum tamen illud præstari multis modis potest, ut ex dicendis sequenti Erotemate constabit. Adde quòd prædictâ arte, nempe scribendo succo aliquo litteras quæ ad ignem applicatæ compareant, scribi possit Epistola, & ad absentem non adeo distantem mitti per canem, per columbam, aliamvè avem, per globum Epistolam intra se inclusam habentem, & tormento bellico intra urbem obsessam ejaculatum. Quæ omnia non semel contigisse scimus.

Alium modum revera præstandi id quod Trithemius prædictis verbis promisit, & magis, ut arbitror, menti ipsius congruentem, dabo Classe sequenti cap. 8.

EROTEMA VII.

Quibus aliis modis putarint alii, per ignem sine verbis & signis arcanum mentis conceptum manifestari posse absenti ad quamcungue distantiam, ex mente Trithemii.

*Trithemii
Steganographiam
per ignem
quomodo
factam
fuisse putant alii.*

Dixi in præcedenti Erotemate quid ego sentiam de Trithemiana Steganographia per ignem sine verbis & signis, per
nun-

nuntium & sine nuntio, ad quamcunque distantiam. Nunc videndum quid alii de eadem sentiant, & quàm verè, aut secus.

§. I. An per signa igne aut facibus edita.

Igne absentibus significari aliquid posse, ac solere, frequens docet experientia. Vidi ego multorum annorum spatio in Sicilia (ut retuli etiam in Technica Curiosolib. 7. cap. 6. §. 3. in Annot. & confirmat P. Achanasius Kircherus in Appendice ad Polygraphiam suam, Disquisit. 1. Pragmat. 1.) per totum circuitum in locis maritimis frequentes in editioribus locis turres seu speculas esse dispositas, ac in singulis habitare perpetuò speculatores publicis regni sumptibus. Horum quicumque in mari è longinquo observat adventantes naves, signum edit fumo de die, igne de nocte, quo signo speculatorem proximum reddit attentum. Hoc ipse videns, aliud simile signum edit pro sequenti tertio speculatore, & hic aliud pro quarto, &c. adeo ut infra horæ quadrantem omnes urbes maritimæ de conspectis & adventantibus navibus reddantur certiores. Interim dum tertius speculator monet quartum, quartus quintum, quintus sextum, &c. primus qui inchoaverat, tot signa edit fumo aut igne, quot naves adventare conspexit. Idem facit secundus, qui numerum signorum observavit, idem tertius, quartus, &c. Sicque eodem horæ quadrante omnes & de navibus conspectis, & de navium numero admonentur. Hac ratione si in aliquo regno quantumvis magno disponderentur frequentes turres, è quarum una ad alteram conspectus pateret; posset infra breve tempus ad magnam distantiam absentibus significari quippiam, ver. gr. hostium irruptio, mors regis, nativitas prolis regiæ, & similia. Et si adhiberetur artificium cujus passim Cryptographi meminere, & extat apud nos in Technica Curiosa loc. cit. iterumque sequenti Classe proponetur, ut nimirum Alphabeti litteræ in abaco dispositæ certis numeris notentur, & repetitâ facis aut facium elevatione ac depressione dictæ litteræ indicentur; potest quodcunq; secretum paucis verbis conceptum significari absentibus ad quamcunque distantiam.

Hanc per ignem absentibus significandi quippiam praxin ad quamcunque distantiam, cum reulisset & explicasset P. Athanasius Kircherus loco proximè citato; subjungit hæc verba: *At q̄, hæc sufficiant ad indicandum modum, quo Trithemius per ignem ad quamlibet distantiam conceptus suos sine litteris & scrip̄is transmittere se posse putaverit. Quia tamen nonnullis Philosophastris non placet hic, alio modo ignem hunc intelligi debere existimant.* Putavit itaque P. Kircherus, Trithemium non alio quàm relato modo perfecisse, aut perficere voluisse, quæ promisit in citatis præcedenti Erotemate verbis. Unde eodem loco præmiserat idem P. Kircherus: *Non necesse erat, Trithemium tam pomposis verborum ampullis jactare secretum id, quod jam quotidianâ ferè consuetudinè viluit. Quis nescit, istiusmodi arcanum Trithemii adeo manifestum & usitatum esse, ut vel ipsis pueris pateat? Rectè hæc assereret, si constaret Trithemium de hoc locutum artificio. Sed hoc ego pernego. Artificium Trithemii fit per ignem & nuntium, aut etiam sine nuntio, si velit; hoc semper sine nuntio: illud fit sine signis & litteris igne expressis, quæ aut nuntio aut aliis artificii ignaris appareant; hoc aut signis nudis, aut signis quæ litteras significant. Sed jam alios audiamus.*

§. II. An per radios Lunares, ope speculi, aut sine speculo.

IN Magia nostra Catoptrographica, quæ est liber 8. Partis 1. Magiæ Universalis, syntagm. 3. cap. 1. disputavimus, Utrum in Lunari disco aliquid legendum exhiberi possit arte Catoptrographicâ. Fieri id posse asserit Cornelius Agrippa lib. 1. Philosophiæ Occultæ cap. 6. ubi hæc habet: *Est & aliud prestigium admirandum magis, ubi pictis certo artificio imaginibus, scriptisve litteris, quis nocte serenâ plena Luna radiis opponat, quarum simulacris in aëre multiplicatis, sursumque raptis, & unâ cum Luna radiis reflexis, alius quispiam rei conscius per longam distantiam videt, legit, & agnoscit in ipso disco seu circulo Luna.*
Quod

Quod equidem nuntiantorum secretorum obsessis villis & civitatibus utilissimum artificium est, olim à Pythagora factitatum, & hodie aliquibus adhuc pariter & mihi non incognitum. Et in Censura seu Retractatione de Magia, Cap. de Præstigiis, idem Agrippa hæc habet: Sed & doctissimum Pythagoram id ridiculum aliquando factitasse, ut quæ collibuisse, sanguine perscriberet in speculo: quo ad pleniluminis Lunæ orbem obverso: stanti à tergo res exaratas in disco Lunæ commonstrasse legimus.

Joannes Baptista Porta lib. 17. Magiæ Natural. cap. 17. postquam verbis obscurissimis, & ingenti cum jactatione proposuisset artificium conficiendi speculum parabolicum, comburens ad distantiam infinitam; subjungit hæc verba: Hoc diximus & animadvertimus; ut hoc artificio in magnis & mirabilibus rebus uti possimus, & præcipue litteras disco Lunæ inscribendo. Quæcunque enim hoc speculo exaraverimus, ut diximus de plano; poterimus longissime litteras mittere: & quia in infinitum diximus; facile usque ad Lunam mittitur, præcipue cum suo lumine adjuvetur.

Huic Agrippæ & Portæ opinioni adhæret Daniel Schwenterus in Deliciis Mathemat. Parte 6. & Auctor Anonymus Philosophiæ novæ apud P. Kircherum lib. 10. Lucis & Umbrae in Cryptographia sua nova cap. 1. & in Appendice ad Polygraphiam suam novam Disquisit. 1. Pragmat. 1. ubi etiam ait. Cornelium Agrippam, Paracelsum, & Baconem putare, dum Trithemius asserit se posse per ignem ad quamcunque distantiam secreta sua communicare absentibus, eum loqui non de igne nostro, sed de radiis Lunaribus, qui litteras scriptas Lunæ plenæ oppositas reflectat. Ego apud Agrippam nihil invenio huc pertinens, quam quod retuli. Paracelsum excutere nunc non lubet, nec Baconem. In Magia Catoptrographica Syntag. 3. cap. 1. probavi, Lunam nec speculum esse; nec si esset, posse litteras sibi hic in terra oppositas reflectere ad nos. Sed demus & speculum esse Lunam, & posse efficere quod citati Auctores asserunt; Trithemius tamen

de hoc artificio nequaquam est locutus : nam ait se posse per ignem ad quamvis distantiam sine litteris & signis manifestare absentibus arcana mentis ; quod, uti patet, prædicto artificio fieri nequit.

§. III. An per diffusionem specierum visibilium, aut audibilium.

Cornelius Agrippa lib. I. Philosoph. Occultæ cap. 6. tractans inter alia de admiranda aëris natura, ait ipsum proximè cœlestium omnium influxus in se concipere, aliisque cùm elementis, tum mixtis singulis communicare; non minùs etiam rerum omnium cùm naturalium, tum artificialium, & sermonum quorumcunque species, *veluti deificum quoddam speculum* in se suscipere, & retinere, illasque secum ferentem corpora hominum & animalium, per poros ingressum, tam in somno, quàm in vigilia illis imprimere, variorumque & mirabilium somniorum materiam præbere. Hinc multi Philosophi arbitrati sunt (ait ipse) aërem causam esse somniorum, plurimumque aliarum animæ impressionum, per delationem idolorum, seu similitudinem specierum, quæ deciduntur à rebus & sermonibus in ipso aëre multiplicatis, quousque perveniant ad sensus, & tandem ad phantasiam & animum recipientis. His relatis, subjungit: *ipsæ namque rerum species, licèt ex propria natura deferantur ad sensus hominum & animalium, possunt tamen à cœlo, dum sunt in aere, acquirere aliquam impressionem, ex qua unà cum aptitudine à dispositione recipientis, magis ferantur ad sensum unius, quàm alterius. Atque hinc possibile est naturaliter, & procul omni superstitione, nullo alio Spiritu mediante, hominem hominì ad quamcunque longissimam etiam vel incognitam distantiam & mansionem, brevissimo tempore nunciare mentis suæ conceptum : etsi tempus in quo istud fit, non possit præcisè mensurari : tamen intra viginti quatuor horas id fieri omnino necesse est. Et ego id facere novi, & sæpius feci. Novit idem etiam, fecitque quondam Abbas Trithemius.*

Hoc quod ultimo hîc loco refert Agrippa de se, & de Trichemio, videri posset tacitè approbatum ab ipso Trichemio. Nam Anno M. D. X. dum ipse hîc Herbipoli in cœnobio ad S. Jacobum Apostolum ultra Mœnum Abbatis officio fungeretur; convenit eum Agrippa, & aliquamdiu (ut ipsemet fateatur in Epistola quadam ad Trichemium) cum eodem conversatus; multa de Chymicis, Magicis, Cabalisticis; aliisque pluribus rebus contulit: mox tres libros de Occulta Philosophia composuit, & ad Trichemium, antequàm ederentur, misit *examinandos, castigandos, censendos, judicandosq;*, ut si quid in illis à se scriptum esset, quod aut in Natura contumeliam, aut Cœlitum offensam, religionis ve injuriam vergerere posset, condemnaret errorem: sin autem dissoluta & purgata essent impietatis scandala, veritatis traditionem tueretur; Sicque cum suis libris ageret, ne occultaretur aliquid quod prodesse posset, nec probaretur quod posset non nisi nocere; quò sic tandem dicti libri ejus examine probati, digni essent, qui aliquando in publicum egrederentur, nec timerent judicium subire posteritatis.

Huic Agrippæ Epistolæ ac petitioni in hunc modum respondet Trichemius. *Opus tuum, Ornatissime Agrippa, De Occultiore Philosophia prænotatum, quod nobis examinandum per latorem presentium obtulisti, quanta cum voluptate susceperimus, nec lingua mortalis unquam potest exprimere, nec scribentis calamus referare. Admiratione maximâ ducimur super eruditione tua non vulgari, qui & juvenis tam secreta penetras, & arcana multis etiam viris doctissimis abscondita, non solum pulchrè ac verè, sed etiam propriè & ornate proferre in lucem potuisti. Unde imprimis tue ad nos benevolentia gratias agimus, & si poterimus unquam, pro viribus indubitanter referemus gratias. Tuum Opus, quod nemo doctissimorum etiam virorum satis laudare sufficiet, probamus: deinde ut studio pergas in altiora, quo cœpisti, nec finas tam excellentes ingenii tui vires otio te pescere, te quâ possumus instantiâ monemus, petimus, & rogamus, quatenus & tuote labore ad meliora semper exercites: & lumen vera sapientie, quo maximè & divinitus illustraris, etiam ignorantibus demonstres. Nec te retrahat, &c. Ex nostro cœnobio Teapolitano, octavâ die Aprilis, Anno M. D. X.*

Ex his non improbable reddi videtur quod Agrippa de se, & de Trithemio asserit. Si constaret certius, Trithemium scivisse modum ab Agrippa insinuatam, quo naturaliter, & sine omni superstitione, brevissimo tempore, ad quamcunque distantiam, mentis suæ conceptum significaret; dicerem audacter, Trithemii pollicitationem quam examinamus, de modo illo intelligendam. Sed cum hæc incerta sint, ad alia progredior.

§. IV. An per Catoptricas operationes,
seu per specula.

Catopricâ arte, hoc est, speculorum subsidio, duos à se invicem distitos posse sibi mutuò occultè scribere, & loqui, atq; abditos animi conceptus manifestare, imò catoptricâ quadam replicatione & seipsos, & alios, & res ferè quascunque sibi mutuò ob oculos ponere; probavimus multis in Magia nostra Catoptrographica, seu lib. 8. Part. 1. Magia Univers.

Nam ostendimus, posse ope speculi plani chalybei, ac vitri lenticularis majoris, projici in locum distantem obscuratum & litteras, & figuras quascunque & integras representationes scenicas, aliaque similia, non solum per lumen Solis interdiu, sed etiam per lumen candelæ, seu nocte, seu die.

Sed cum hæc neque ad adeò magnam distantiam fieri queant, neque sine litteris aut signis, neque indigeant nuntio; stolidum foret existimare, Trithemium de hoc artificio in sua pollicitatione locurum.

Dubitari tamen posset, num aliis pragmatiiis ex Catoptrica depromptis id quod Trithemius promittit, præstari queat. Ut enim loco citato, Syntagm. 3. vidimus, *Joannes Baptista Porta* lib. 17. Magia Natural. cap. 17. speculum parare docet, quo quascunque ipsi inscripta possimus quàm longissimè mittere, etiam ad Lunam usque, efficereque ut inde ad nos in terram reflectantur. Et *Cornelius Agrippa* in Censura de Magia, cap. de Præstigiis ait, (ut vidimus §. 2. præcedente) Pythagoram quæ collibuisse, sanguine perscripsisse in speculo, eoque ad pleni luminis Lunæ orbem obverso, stanti à tergo res exaratas in disco Lunæ com-

monstrasse. Idem *Agrippa* lib. 2. *Occultæ Philosoph.* cap. 1. postquam mira quædam de speculis narrasset, addit de se ipso: *Et novi ego fabricare duo specula reciproca, in quibus lucente Sole omnia, quæcunque illius radiis illustrantur, per remota plurimum milliarium spatia evidentissimè cernuntur.*

Hercules de Sunde in sua *Steganographia* aucta, lib. 3. cap. 4. ait, *Fridericum Risperum* in *Optica* sua meminisse speculi cujusdam, quo noctu ad *Lunæ* splendorem legebatur *Constantinopoli*, quod *Londini* in *Anglia* scriptum erat. Idem Auctor eodem capite ait, legisse se in *Tractatu de Magia* *Monachi* cujusdam antiqui, qua ratione tria specula præparari ac disponi queant, in quibus noctu in plenilunio videri possit quidquid in toto *Terræ* hemisphærio sub dio contingit.

Dubitari ergo potest, num hisce saltem ac similibus speculis posset quispiam absenti ad longam distantiam manifestare mentis suæ arcana.

Quid ego sentiam de hisce speculis, relatisque operationibus eorum opè præstitis, aut præstandis, exposui loco cit. cap. 1. & 2. Nuncajo, dato vera esse omnia quæ retulimus, *Trithemium* tamen de hoc etiam catoptrico artificio nequaquam exponi posse, quoniam nihil eorum fieri sine litteris aut signis potest.

Hæc sufficiant. Alios modos quibus *Trithemium* suam pollicitationem executioni mandasse, aut mandari posse, nonnulli sibi persuasere, indicabimus *Erotemate* sequenti; modum verò verosimiliorem exponemus sequenti *Classe* Cap. 8. *Annotatione* 2.

EROTEMA VIII.

Quid sit Dromaticum occultè scribendi genus apud Trithemium, & quomodo fiat.

T*rithecius* in *Clave Polygraphiæ* suæ, in *Expositione* *Prologi*, referens varios occultè scribendi modos apud veteres usitatos, inter alia ait, alios ministerio litterarum visibilium usos scri-

Scribendi
occultè ge-
nera tria
apud iri-
themium.

scribentes cum minio, vel encausto communi; alios verò characteres arbitrio suo invisibiles ad nutum formasse. Et modos quidem characterum visibilium pro scriptura occulta ait esse multos, ac penitus innumerabiles; *Invisibilium autem* (subjungit) *tria sunt genera inter mortales hodie magis usitata. Primum nuncupatur Dermaticum, quod fit in dorso nunciorum scripturâ quadam artificiali per loturam cujusdam humoris dumtaxat visibili, quam penetrare nemo sufficit qui artis nescierit arcanum. Secundum verò Hyphasmaticum dicitur, quorebus certis in panno scribitur, quod exsiccatum videri potest minimè, donec madefactum in aqua frigida ternatur. Tertium genus nominatur Aleoticum, quod est multiplex & varium, tam in forma, quàm in materia, habetq; modos occultè scribendi penè innumerabiles. Ejus autem scriptura fit in charta, vel sine charta, cum nemilua, & cala, cum raphocam, lapolce, aliisque rebus diversis. Scribuntur item litteræ, ac variis modis absconduntur, & locis, ut subrace tabulata, sub rofira cubior, in leopi, in necoflas, ceocali, in locubat, in ratera, in lissilia, & aliis similibus penè infinitis. Hæc tria genera examinasse & explicasse non erit alienum à proposito nostro. De singulis ergo agamus, ac primùm de primo.*

Dermati-
cum occultè
scribendi
genus
quod fit.

Dermaticum igitur scribendi genus est, quod fit in dorso nunciorum, sic dictum à Græco vocabulo *dèqua*, quod pellem significat. Hoc, ait Trithemius, fieri scripturâ quadam artificiali, per loturam seu tincturam cujusdam humoris seu liquoris dumtaxat visibili. Quærit P. Kircherus in Appendice ad Polygraphiam suam Disquisit. 2. quisnam humor ille sit; & respondet, esse humorem ex nitro & alumine aut vitriolo compositum, quo si quispiam in quadam carnosâ corporis parte priùs attactu calefacta quidpiam inscripserit, vix apparebit ad aliquod tempus; sed humor paulatim carni altius insertus, tandem scripturam nigro colore imbutam exhibebit difficulter deletibilem. Hoc an ad mentem Trithemii sit, dubitari posset: nam ille duo requirit ad suum stratagemâ, scripturam quandam artificialem in pelle humani corporis, & loturam cujusdam humoris quo visibilis reddatur scriptura antea invisibilis. Quid ego sentiam, patebit sequenti Classe cap. 8.

Huc

Huc spectat quod *Plinius* scribit lib. 26. *Histor. Natural.* cap. 8. simili scribendi genere. *Tithymalum*, inquit, nostri herbam lactariam vocant, alii lactucam caprinam: narrantque lacte ejus inscripto corpore cum inaruerit, si cinis inspergatur, apparere litteras. Et ita quidam adulteros alloqui maluere, quam codicillis.

Item id quod retuli in *Magia Cryptographica Syntagm.* 1. cap. 1. §. 2. ex *AGellio* lib. 17. cap. 9. de *Histiæo*, qui servi capiti derafis prius capillis litteras quas voluit, inscripsit. Verba *Gellii* do. Est & alia in monumentis rerum Græcarum profunda quedam & inopinabilis latebra, barbarico astu excogitata. *Histiæus* nomine ^{Stratagemæ Histiaæ} fuit, loco natus in terra Asia non ignobili. *Asiam* tunc tenebat imperio *rex Darius*. Is *Histiæus* cum in *Persis* pud *Darium* esset, *Aristagora* cuiquam res quasdam occultas nuntiare furtivo scripto volebat. Commiscitur opportunum hoc litterarum admirandum. Servo suo diu oculos egros habenti capillum ex capite omni tanquam medendi gratiâ deradit, caputque ejus leve in litterarum formas compingit. Ubi id factum est, ire ad *Aristagoram* jubet. Et cum ad eum, inquit, veneris, mandasse me dicit, ut caput tuum sicut nuper egomet feci, deradat. Servus, ut imperatum erat, ad *Aristagoram* venit, mandatumque Domini offert. Atque ille id non esse frustra ratus, quod erat mandatum, fecit. Ita littere per late sunt. Quæritur quâ arte inscriptæ derafo capiti litteræ? *Janus Hercules à Sunde* lib. 4. *Steganograph.* cap. ult. putat iniustas fuisse. *P. Kircherus* in *Appendice ad Polygraph.* ait, atramento acri fuisse inscriptas. *Porta* lib. 17. *Magiæ Natural.* cap. 5. ait, fuisse atramento levi impressas.

Idem *P. Kircherus* eodem loco, post relatum *Histiæi* astum, suspicatur *Trithemium* de hoc eodem aut simili astu occultè scribendi locutum, dum dixit, se per ignem absenti ad quamcunque distantiam posse nuntiare arcana mentis suæ sine litteris & signis, per quemcunq; nuntium, cui nihil de secreto sibi commisso constet, ideoq; quibuscunque tormentis adactus illud prodere nequeat. Verba ejus sunt: *Forfan simile quid Trithemius*

per suum nuncium intellexit. Nam quod ipse de suo nuntio sine litteris, scriptis, signis, (id est, exterioribus) absenti arcanum mentis conceptum significante dixit, id de hujus Histiaei seruo pariter dici posse nemo negabit; qui si comprehensus, interrogatusque fuerit etiam per tormenta durissima nil prorsus de arcano dicere potest, cum de eo nil sibi constaret, & ne quidem occultas se litteras portare sufficaretur, neque ulli mortalium tam subtilis astus in mentem veniret. Patet itaque exemplum, quo nuncius Trithemianus sanè ad vivum exprimitur.

EROTEMA IX.

Quid sit Hyphasmaticum occultè scribendi genus apud Trithemium; & quomodo fiat.

Hyphasmaticum occultè scribendi genus.

HYphasmaticum occultè scribendi genus est, ut Trithemius in loco precedenti Erotemate citato explicat, quo rebus certis in panno scribitur, quod exsiccatum videri potest minime, donec madefactum in aqua frigida cernatur. Dicitur à Græco verbo ὑφασμα, quod pannum, telam, texturam significat. Theodorus Bibliander putat, hoc scribendi genus potius dicendum esse *Hyphalmicum*, ob eam fortassis causam, quòd illo dum scribitur, sive in panno, sive in charta, sive alia quavis in materia, nihil litterarum apparet priusquam charta & pannus aquis immerfus fuerit.

Itaque ad hoc scribendi occultè genus revocabo tantùm modos, quibus notæ seu characteres in charta aut panno prorsus inconspicui fiunt, & delitescunt, nec unquam, nisi aquâ adhibita, in conspectum veniunt: reliquos verò modos, quibus characteres antea inconspicui redduntur visibiles, si signi admoveantur, aut pulvere conspergantur, aut aliâ quavis ratione, revocabo ad sequens genus Alcoticum. Hyphasmatici generis praxes nonnullas dedi in *Magia Cryptographica*, quibus nunc alias addo. Igitur

Primò,

Primò, *Si vis ut littere scripte non conspiciantur, nisi liquore aliquo madefiant;* dissolve vitriolum aqua ardente, & solum cola penicillo seu panno lineo, donec clarescat aqua. Eo liquore si in papyro litteras formes, & sicari sinas; evanescent. Scribe ergo quæ secreta esse vis isto liquore; in versuum verò seu linearum interstitiis vacuis scribe atramento ex combustis paleis aceto mixtis confecto, & amico absenti trans mitte Epistolam. Is si omphacitis gallam vino albo decoquat, & eo liquore spongiam madefaciat, leniterque papyrum detergat, eò usque litteras madefaciendo, donec color ater evanescat; litteræ antea inconspiciæ apparebunt, & legi poterunt.

Secundò, *Si vis ut liquoribus chartam immergendo litteræ invisibiles antea, conspiciæ fiant;* solve ut antea vitriolum seu calchantum in aqua: Deinde contere tenuiter gallas, & aquis immerge, ac post spatium diei naturalis ex stilla per linteum seu penicillum, ut clarescat aqua. Demum hac aqua scribe supra papyrum id quod secretum esse cupis, & mitte absenti; qui si liquoribus chartam immergat, illicò litteræ conspiciæ fient.

Tertiò, *Si vis ut aqua linteum aut pergamenum immergendo, in quo litteræ invisibiles sunt exarata, ex fiant conspiciæ;* solve in aqua alumen, & eâ aqua exara litteras, quas vis esse secretas, super linteum aut pergamenum album, & sine resiccari. Si aquis immergas deinde linteum aut pergamenum, videbis id madefactum quodam modo obscurari, exceptis iis partibus in quibus alumen delineatum fuit: unde litteræ reddentur conspiciæ, & legibiles. Causa est, quia alumen, sicut & calchantum, & omnia adstringentia, quando soluta sunt, tardiùs aquam admittunt.

Quartò, *Si vis ut in aquis lactea seu alba fiant litteræ, quæ antea inconspiciæ erant;* terelithargyrum (spumam argenti aut plumbi alii appellant) & in vas fictile aquam cum aceto continens, conjice, ac decoqu; decoctumque percola, ac serva. Deinde limonis succo citriferi generis litteras exara in papyro; quæ ubi siccatæ fuerint, abduuntur penitus, & evanescent, si verò liquori prædicto immergantur, lactea redduntur, & conspiciæ.

Quintò, *Si vis ut littera inconspicua sputo madefacta fiant conspicua;* manda & comminue dentibus gallas, & sputo commisce, eoque sputo scribe in charta, & sine litteras reficcari. Deinde madefactum digitorum intinge vitriolo pulverizato, & litteras antea exaratas humecta: apparebunt nigræ.

Annotationes.

I. **C**irca pragmatiam Numero tertio propositam notat Janus Hercules de Sunde lib. ult. *Steganographia aucta, cap. 2. alumen benè comminutum solvendum in aqua purissima, & calamo novo aqua illi intincto scribendum supra chartam rudem seu crassam (quò enim crassior est aqua, eò melius, inquit, apparent litteræ) & expectandum donec benè exsiccentur. Tunc enim si charta aliquoties traducatur per aquam purissimam pelvi exceptam; litteræ antea exarate apparent candida, ac facile intelligibiles, maxime si opponatur luci.*

Notat ulterius, ut sine secreti latentis suspitione hac praxi ad amicos absentes scribatur, formandam esse Epistolam atramento scriptam quæ nullum secretum continet, id verò quod secretum esse desideratur, scribendum prædicto liquore ad Epistolæ margines, aut in ejus fine, aut ubicunque vacuum fuerit spatium, & commodum videbitur. Non erit autem incommodum, in spatiis inter duas quaslibet lineas vacuis scribere.

II. Idem Auctor circa pragmatiam Num. 1. propositam notat, vitriolum prius in aqua purissima lavandum, deinde in alia aqua pura dissolvendum, eaque aqua scribendum; utique recenti calamo ut antea. Deinde jubet comburi stramen avenacenum, ac in pulverem aqua pluvia purâ supra lapidem teri ac commisceri, eaque misturâ scribi supra litteras antea in charta scriptas. Demum jubet dissolvi gallas in vino adusto, aceto, aut aqua; huic liquori intingi spongiam aut gossypium; detergi scripturam nigram. His enim factis apparebit scriptura quæ antea delitescerat.

E R O T E M A X.

*Quid sit Aleoticum occultè scribendi genus apud
Trithemium; & in quo consistat.*

Aleoticum scribendi occultè genus quid sit, nec Trithemius, Aleoticum occultè scribendi genus. nec alius (quod sciam) explicat. Solum dicit Trithemius, multiplex id esse & varium, tam in forma, quam in materia, habereque modos occultè scribendi penè innumerabiles: ejus autem scripturam fieri in charta, vel sine charta cum *nemilua*, & *cala*, cum *raphocam*, *lapolce*, aliisque rebus diversis. Addit, scribi etiam hoc genere litteras, ac variis modis & locis abscondi, ut sub *race tabulata*, sub *rosfrila cubior*, in *leopi*, in *necostes*, in *ceocali*, in *locubat*, in *raterà*, in *lissilia*, & aliis similibus penè infinitis. Quibus quidem verbis, quæ ex litteris variè transpositis ad artificium occultandum composita sunt, nihil aliud significatur, uti videbimus, quam varii astus, technæ, & stratagemata Epistolas vel scribendi, vel scriptas occultandi, & occultatas ad amicos distantes transmittendi. Unde Aleoticum scribendi occultè genus idem esse censeo ac astutum, vasfrum, versutum, sic dictum fortassis ab *αλημας*, quod astum, vasfriciem, technam, imposturam significat. Singula igitur peregrina ac ficta à Trithemio vocabula explico, & astus, ac technas quas significant, pando.

§. I. De descriptione cum *nemilua* & *cala*,
raphocam, & *lapolce*.

Cum *nemilua* significat cum alumine, & *cala* significat lacte, Aleoticum occultè scribendi genus. redundante litterà *a*; *raphocam* est camphora; *lapolce* est cepolla, seu cepa.

Quomodo scribatur occultè alumine, diximus Erotemate præcedente Num. 3. Quomodo lacte tithymali seu lactariæ herbæ, diximus Erotemate 7. ex Plinio. Si lacte ficulneo scribas in charta, aut in aliqua conspicua corporis parte, ut manu, fronte, brachio, & finas exsicari litteras, ut ne vestigium

Quidem ampliùs appareat; ac deinde tritis in pulverem carbonibus, aut chartæ paleæve combustæ polline aut cinere atro bene cribrato, aut fuligine conspergas locum scriptionis, & pulverem iterum excutias, aut exsuffles; litteræ apparebunt, adhærente pulvere litteris antea scriptis. Alludit huc *Ovidius*, dicens:

*Tuta quoque est, fallitque oculos è lacte recenti
Littera; carbonis polline tinge; leges.*

Quod de lacte dixi, intellige etiam de urina, aceto, adipe, sebo, aliave pinguedine, gummi, & similibus tenacibus aut pinguibus liquoribus ac materiis: omnibus enim inspersus pulvis ad arefcit, ut litteræ exsiccatæ, & antea invisibiles, reddantur visibiles.

Cum *raphocam*, id est, cum camphora, quæ gummi genus est, non aliter occultè scribitur, quam cum gummi. Cum *lapolce*, id est, cepolla seu cepa scribitur ut cum succo citri, aut limonis, aut cujusvis acris & immaturi fructus, ut cerasi, sorbi, uvæ, &c. Si enim ejusmodi succo litteras formes in charta, & exsiccati sinas, nihil apparet: Si ad ignem calefacias scripturam, litteræ aut nigrescunt, aut pallescunt, aut colorem alium induunt. Idem contingit, si salem ammoniacum cõtundas, & in aqua dissolvas, eaq; aquâ scribas in charta, & scripturam exsiccatam igni admoveas.

§. II. De scriptione sub *race tabulata*, sub *rosfrila cubior*, in *leopi*, in *necoflas*, in *ceocali*, in *locubat*, in *ratera*, in *lispilia*.

Vide cap. 2.
§. 4. Classis
8. sequentis

Sub *race tabulata* est sub tabula cerata. Sub *rosfrila cubior* est qui interpretetur, sub floribus rubi, quod incongruum videtur; forrassis legendum, sub *rosfrila nubios*, sub foliis arborum, redundante literâ *i*. In *leopi*, est in pileo; in *necoflas*, est in flacone; in *ceocali*, est in calceo; in *locubat*, est in baculo; in *ratera*, est in terra, in *lispilia*, est in palliis.

Omnibus hisce peregrinis vocabulis excepto primo, indicantur modi non scribendi occultè, sed abscondendi litteras scriptas.

ptas.

ptas, illasque a labentes mittendi per nuncios vel ipsis insciis, vel sine periculo ut apud interceptos nuncios reperiantur. Quare primum solum hinc explico, reliquis ad sequentem Classem rejectis.

Primus ergo modus sub *racc tabulata*, hoc est, sub tabula cerata scribendi occultè, apud veteres olim usitatus, in hoc consistebat, ut è pugillaribus, in quibus scribere solebant, ceram eraderent, & quod secretum volebant, nuda tabulæ inciderent, aut characteribus indelebilibus inscriberent, iterumque ceram obducerent, & in ea vel scriberent quæ secretum non requirebant, vel vacuum relinquerent, atque ad absentes per tabellarium mitterent. Exemplum narrat *Herodotus* in fine libri septimi. *Nam postquam Xerxes, inquit, statuit adversus Græciam sumere expeditionem, id Demaratus qui Susis erat, cum cepisset, censuit Græcis esse indicandum: sed cum aliter nequiret (quippe periculosum erat ne deprehenderetur) hanc rem commentus est. Sumptis duarum tabellarum pugillaribus, ceram illinc eradit. Deinde in eorum ligno consilium regis exarat: quod litteris exaratum, rursus cerâ inducit, ne quid negotii apud viarum custodes exhiberent pugillares qui ferrentur. Qui ubi Lacedæmonem allati sunt, non poterant eos Lacedæmonii interpretari, antequam (ut ego accipio) Cleomenis filia eademque Leonide uxor Gorgo, illos admonuit, ipsam rem interpretata, jubens ceram effringi: fore enim ut litteras in ligno reperirent. Ita ei auscultantes Lacedæmonii, litteras reiertas relegerunt, easque deinde ad Græcos demiserunt. Hæc Herodotus.*

Similem astum retuli in *Magia Cryptographica Syntagma*, l. cap. I. §. 3. ex *Gellio*, qui lib. 17. cap. 9. ait, legisse se in veterum historia rerum Punicarum, virum quempiam apud Pœnos illustrem (sive ille *Hasdrubal*, sive quis alius fuerit) epistolam scriptam super rebus arcanis hoc modo abscondisse. *Pugillaria videlicet nova, nondum etiam cerâ illita accepisse, litteras in lignum incidisse, postea tabulas, uti solitum est, cerâ collinisse, easque tabulas tanquam non scriptas, cui futurum id prædixerat, misisse: eum deinde ceram deersisse, litterasque incolumes ligno incisas legisse.*

Allu-

Alludit ad hanc praxin *Ovidius* dum canit: *Et feret occultas pura tabella notas.*

Hæc sufficiant de tribus occultè scribendi generibus, quorum *Trithemius* meminit. Plures praxes ad eadem spectantes dabimus in Classe sequenti.

EROTEMA XI.

An, & quomodo Trithemius potuerit voluntatem suam indicare sedenti in carcere artem scienti, etiam longè absens.

Trithemius quomodo potuerit voluntatē suam manifestare absenti in carcere sedenti.

TRithemius in Epistola ad *Bostium* allata suprâ initio hujus Classis septimæ, referens mirabilia quæ in libro secundo *Steganographiæ*, à se scriptæ continebantur, ait inter alia, ut ibi vidimus: *Voluntatem quoque meam indicare possum sedenti in carcere, artem scienti, etiam longè absens, quantumcunque custodiatur, etiam si tribus milliaribus sub terra sederet. Et hæc omnia latissimè & universaliter, quando & quotiescunque voluero, possum, naturaliter sine aliqua superstitione, vel adiutorio spirituum quorumcunque.* Hæc referens *P. Kircherus* in Appendice suæ *Polygraphiæ Disquisit.* ult. subjungit, *Trithemium* hoc loco idem fecisse, quod *Alchimistæ* solent, qui lapidem suum philosophicum tantæ virtutis esse asserunt, ut omnes etiam incurabiles morbos sanet, à mortuis quasi resuscitet, senectutem in juventutis florem mutet, vitam ad trecentos & ultra annos prolonget, eoque aureos montes, & inexhaustos divitiarum thesauros mundo promittunt: cum tamen tantum absit ut hæc consequantur, ut potius à tot seculis inventus sit nemo, nisi forsan quispiam à magistro diabolo omnium mendaciorum fabrico instructus, qui hujusmodi arcana, quæ stolidè pollicentur, comprobare potuerit.

His aliisq; in eundem sensum præmissis, subjungit se jam antea dixisse

dixisse, nihil facilius quàm per species visibiles aut sonoras sedenti in carcere mentis conceptum manifestare: *Sed cum Trithemius dicat, etiam longè absentem à carcere, etiamsi tribus milliaribus infra terram constitueretur, se arcana mentis universali modo, & de quacunque re, manifestare posse, sine litteris, signis, scriptis, nutibus; id enim verò omnem humani intellectus capacitatem superat; hoc enim est, quod omnes abditarum rerum exploratores nosse hucusque desiderarunt.* Addit, certum esse, & vel ex propriis Trithemii verbis constare, eum hanc suam artem in praxi nunquam exercuisse, cum nulla vorago in rerum natura inveniatur trium milliariorum germanicorum profunda; & si reperitur, hominem in ea vivere non posse. Ex quo infert, hunc Trithemii conceptum, quo fieri id quod dixit, putavit posse, cum naturaliter fieri nequeat, fuisse solummodò conceptum phantasticum, in eaque re fuisse Trithemium illusum,

Ego hac in controversia noto in primis, Trithemium non dixisse se sine verbis, scriptis, signis, manifestare posse mentis suæ arcana sedenti in carcere tribus infra terram milliaribus; sed tantum, posse se ejusmodi homini indicare voluntatem suam.

Deinde ajo, cum Trithemius fuerit non minus prudens, quàm ingeniosus & doctus, & in magna apud homines existimatione, Magnates præsertim & Viros Principes; credibile non est, eum tam mirabile & votis multorum expetendum secretum temerè promississe, multò que minùs aut ipsum illusum fuisse, aut aliis illudere voluisse. Si certus de arte sua non fuisset, quâ fronte vir tantus in Præfatione ad Polygraphiam, Maximiliano I. Cæsari, Viro sagacissimo, & de Trithemio optimè merito (ut quem jam antea ad se Coloniam evocaverat, & oblati magnis muneribus tentaverat eum in suam familiam adsciscere, ut hæc ratione commodiùs in Reipublicæ bonum, tum consiliis communicandis, tum scribendis libris operâ qualem qualem unà secum conferret) hæc verba obtrudere fuisset ausus; *Constanter affirmo, veraciter dico, & confidenter in animam meam juro, cum demonibus, pravis ac perniciosis, magicis, & necromanticis artibus*

me nullum unquam habuisse commercium; sed omnia & singula quæ vel scripsi, vel scripturum me sum pollicitus, pura esse, sana, naturalia, & Christianæ fidei in nullo penitus adversa. Unde non vereor, mea promissa coram viris bonis & doctis, quando & quoties opus fuerit, dare examini; quorum determinationi nullatenus intendo reluctari.

Ex his aliisque quæ adducere possem pro Trithemio, sine hæsitacione concludo, eum scivisse artem indicandi voluntatem suam sedenti in carcere, & artem eandem scienti, etiam si longè abfuisset, & tribus milliaribus infra terram fuisset: Eamque artem fuisse naturalem, & certam. Quæ autem illa fuerit, nec mihi, nec aliis, quod sciam, constat. Malo enim meam ignorantiam fateri, quàm de Trithemii, Viri religiosissimi, doctissimi, ac prudentissimi fide ambigere. Quam multa enim sunt, quæ ignoramus, aliis tamen notissima? quàm multa quæ olim ut superstitiosa repudiavimus, nunc ut naturalia amplectimur, atque defendimus?

Quid verò alii de Trithemiana hac arte sentiant, id est, quo modo ipse quod promisit præstiterit, aut præstare potuerit, ex aliorum sententia, in sequentibus aperiemus.

EROTEMA XII.

An ope duarum pyxidum magneticarum arcana mentis manifestari possint longè absentibus.

Magneticarum pyxidum ope an loqui absentibus possimus.

Quæstionem hanc discussimus in Magia Cryptographica Syntagmate §. cap. I. ubi Auctores qui id fieri posse docent, & modos quibus perficiatur ex ipsorum opinione, retulimus; quæ hîc repetere placet, quoniam ibi errores quidam in typum irrepererunt.

§. I. Proponitur Artificium, & explicatur.

Primò itaque, Joannes Baptista Porta in libro manuscripto Italico de Secretis inauditis, quem Romæ mihi videre contigit, ait,

ait, præparari posse duas pyxides nauticas, quæ in circuitu descriptum habeant Alphabetum, eâ arte, ut acu unius motâ moveatur & alterius acus, quantumvis distantis: hacque ratione posse duos amicos inter se distitos determinatis horis sibi mutuò manifestare quæcunq; voluerint. Eandem praxin insinuat idem *Porta* in Proœmio lib. 7. Magiæ Natural. & approbat *Salmuth* in lib. 2. Memorabil. Pancirolli Tit. 11. Quo autem modo, quibusve circumstantiis aut ceremoniis *Porta* dictas pyxides præparari jubeat, nunc non recordor.

Secundò, alii apud P. Athanasium Kircherum lib. 2. Artis Magn. Par. 4. cap. 3 & novissimè in Appendice ad Polygraphiam suam Disquisit. ult. idem asserunt quod *Porta*; voluntque, ferrum seu acum horâ Martis magnete affricari debere sub certo Ascendente, Marte Saturnum trigonâ radiatione respiciente, ut effectum sortiantur.

Tertiò, alii apud eundem requirunt quintam essentiam magnetis & chalybis. Alii ferrum seu acum ex quinta essentia requirunt, litteras verò pyxidibus circumponendas ex vivo magnete effigatas. Alii magnetem in echeneidis sale conservatum, malleo quodam ferreo in tantum minui debere asserunt, donec axis Magneticus inveniatur: quem tantæ virtutis esse perhibent, ut aurum etiam in altissimos puteos delapsum extrahere possit, & vel ad centum vel ducentas leucas aliud ferrum sibi affricatum movere. *Janus Hercules de Sunde* in sua Steganographia aucta lib. 3. cap. 3. idiomate Germanico edita, præscribit hunc modum pyxides præparandi. *Primò* Præparentur duæ pyxides magnetica quadratæ, palmari circiter magnitudine, ejusdem profus modi & formæ; quarum tamen acus magnete non affricentur. In medio autem fundi pyxidum decussent se ad angulos rectos duæ lineæ rectæ, indicantes suis extremitatibus quatuor mundi cardines, Orientem nimirum, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem, ut hinc apposita Figura apparet.



In utraque ad Orientem apponantur quatuor litteræ A, B, C, D; ad Meridiem quatuor aliæ, E, V, G, H; ad Occidentem quatuor, I, K, L, M; ad Septentrionem denique quatuor, O, N, R, S. Omitit reliquas Alphabeti litteras, quia suppleri possunt per prædictas, nempe F per V, P per B, Q per C &c. *Secundò.* Procurentur duæ nolulæ seu campanulæ affabrè & subtiliter elaboratæ, iis similes, quarum usus est in horologiis rotatis viatoriis. *Tertio.* Fiant duo purissima & septies aut sæpius purificata ferra, magnitudine primi articuli auricularis digiti, cuspidata ad instar adamantis unâ suâ extremitate, alterâ verò inclusa ligneo manubriolo. Hæc duo ferra, antequàm manubriolis includantur, ad ignem adeo candescant, ut ferè liquefcere incipiant; & sic candentia dirigantur cuspidibus suis quadrilateris versus Meridiem (cujus locum seu regionem monstrat acus magnetica in pyxidibus ordinariis) cuspidum verò quadrilaterarum utriusq; unum

unum latus affricetur *Magnetis*, seu *Almagriti* polo robustiore, arte alibi explicatâ prius invento. Ut verò latus hoc magnetis polo affrictum discernatur ab aliis lateribus, imprimatur aut insculpatur ipsi litterâ S; quæ *Sud*, id est, Meridiem significat. Deinde dum adhuc calent ferra, dirigantur cuspides quadrilateræ Septentrionem versus, & latus utriusque magnete jam antea affrictum, & litterâ S signatum, vertatur deorsum; latus verò superius affricetur *Theamede* (quem magnetis genus esse ait repellentis ferrum à se versus Septentrionem, & priori magneti contrarii) pars verò seu latus attractum *Theamede* notetur littera N, quæ *Nord*, id est, Septentrionem significet. His factis, vertantur ferra, ut cuspides Orientem respiciant, parsque seu latus signatum litterâ S Meridiem, pars verò seu latus signatum litterâ N Septentrionem; & sic jacentibus ferris affricentur partes seu latera superiora *Adamante* (alii magnetis genus requirunt quod *Almas largont* appellant) parsque affricta notetur litterâ O, quæ *Ost* seu Orientem significet. Tandem ferorum cuspides vertantur versus Occidentem, & pars nondum affricta respiciat sursum, eaque affricetur *Galamitro*, noteturque littera W, quæ significet *West* seu Occidentem. Hisce peractis, cuspides ferorum deorsum vertantur, donec penitus refrigescant, caveaturque ne aquâ extinguantur. Postquàm refrixere ferra, iterum affricentur in quatuor partibus seu lateribus ut antea, primò quidem Magnete seu *Almagrito*, secundò *Theamede*, tertio *Adamante*, quartò *Galamitro*; manubrioloque ligneo includantur illâ extremitate, quæ non est affricta magnete: parataque erunt ut oportet. Debet autem ferrum utrumque esse ejusdem formæ. *Quartò*. Duæ pyxidum magneticarum acus non magnete, ut alias fieri solet, sed præparatorum ferorum cuspidibus affricentur, capsulisque inclusæ vitro tegantur, prout in communibus pyxidibus fieri assolet.

Hæc ubi facta, mirabiles (inquit citatus Auctor) videbis operationes. Nam si præparata ferra (quæ idem Auctor *Chadid* appellat) ita teneantur, ut cuspides horizontem respiciant (id est, ut ego interpretor, situm ad horizontem perpendicularem habeant)

beant) ambae acus pyxidum ad Meridiem vertuntur, & quiescunt: quamprimum vero vel unum illorum situm acquirit horizonti parallelum, & in gyrum vertitur; acus quiescere nequeunt, etiam si duorum aut trium milliariorum spatio à ferro distent. Quòd si pyxides ita statuuntur, ut acusillarum respiciant Meridiem (quod fit, ut dictum, dum ferorum cuspides deorsum respiciunt) ferrumque situm habens horizonti parallelum, vertatur cuspede versus Orientem; tunc & acus eò vertuntur, dummodò pars seu latus litterà O signatum respiciat sursum.

Horum instrumentorum virtus & efficacia ut probetur, sciaturque ad quantam distantiam ferra in acus operentur; praescribit Auctor hanc praxin. Mars Cryptologus tradat discedenti amico Mercurio pyxidem unam, unam nolulam, & ferrum unum, reliqua vero apud se relinquat. Mercurius ubi ad duo tria-ve milliaria discessit, collocet uterque horà duodecimâ, aliàve priùs constitutâ, pyxidem suam supra mensam; Mercurius moveat in gyrum ferrum suum, Mars verò suum teneat immotum è clavo suspensum, ut cuspidis deorsum respiciat. Si Martis acus moveatur in gyrum, signum est Mercurium nondum nimis procul discessisse, sed adhuc intra sphaeram activitatis sui ferri & acuis Martis consistere. Suspendat deinde Mercurius ferrum suum, ut cuspidis deorsum tendat, Mars verò suum in gyrum motitet: quo factò, si & Mercurii acus in gyrum moveatur, probè peractares, & instrumentorum virtus explorata, quorum ope quovis tempore sibi colloqui, vel potius scribere, & mentis arcana significare possint.

Ut autem posthac sciat uterlibet, quo tempore absens loqui gestiat, seu scribere potius, ut dixi, ac mentis suae arcanum manifestare; hac utantur industriâ. Collocet uterq; pyxidem suam in loco aliquo quieto in quo commorari ordinariè solent, & removeant vitreum operculum: nolulas suspendant liberè intra pyxidem, ut fundum non tangant, ab acu autem circumacta tangi queant: ferra deniq; preparata suspendant è clavo, ut cuspides deorsum tendant; tunc enim acus situm obtinebant horizonti parallelum, & Meridiem respiciente, ut dictum.

Si jam Mars Mercurio absenti indicare velit hæc verba
Ich habe deine Sach geschlichtet &c. id est, *Perfeci negotium tuum*
 &c. arripiat ferrum suum, & in situ ad horizontem parallelo ver-
 eat in gyrum, donec acus sua magnetica campanulam feriat:
 ferietq; eodem tempore & Mercurii absenti campanulam acus,
 ut commodè, si domi quietus agat, exaudiri possit. Hoc facto,
 Mars ferrum suum denuo suspendat, aut cuspidem deorsum
 vertat. Interim Mercurius arripit suum quoque ferrum, & si-
 tu ad horizontem parallelo ipsi dato in gyrum agitatur, donec ab
 acu sua campanula tangatur, simulque eodem tempore campa-
 nula Martis ab acu sua. Hæc ubi contingunt, signum est utrum-
 que esse ad auscultandum paratum: sin minus, tam diu eadem
 operatio iteranda est, donec ea eveniant.

Posthæc uterque ferrum suum deorsum conversum teneat,
 ut acus quiescant; pyxidesque ita statuunt, ut acus meridianæ li-
 neæ in fundo ipsarum descriptæ incumbant. Tum Mercurius
 ferrum suum quietum tenet deorsum conversum; Mars verò,
 quoniam I litteram, quæ ad Occidentem in pyxide reperitur, in-
 dicare cupit, suum Chadiseu ferrum extendit supra lineam py-
 xidis cui *Oriens & Occidens* adscriptum est, ita ut pars seu latus fer-
 ri notatum litterâ W, sursum, & cuspis Occidentem respiciat;
 statimque utriusque acus currit ad Occidentem; ex quo Mercu-
 rius colligit, Martem indicare velle unam è quatuor litteris
 I, K, L, M: posthæc motitat Mars ferrum suum, efficitque ut
 utraque acus similiter moveatur & tremat; unde colligit Mercu-
 rius litteram unam, & quidem primam fuisse jam indicatam,
 quoniam semel tantum acus ad Occidentem cucurrit. Hoc facto,
 deorsum vertit Mars ferrum suum, ut acus denuo ad Meridianam
 lineam currat: & quoniam indicare vult litteram C, quæ in Ori-
 ente reperitur, & est in ordine tertia; denuo ferrum suum exten-
 dit supra lineam Orientis & Occidentis, ita tamen, ut cuspis Ori-
 entem, & pars seu latus signatum litterâ O sursum respiciat; sta-
 timque ambæ acus ad Orientem currunt; ex quo Mercurius col-
 ligit, unam è quatuor litteris A, B, C, D, indicandum fore:

quo-

quoniam verò littera C, quam indicare vult Mars, tertia in ordine est, ut dixi, deorsum vertit denuo ferrum suum, ut acus utraq; ut antea currat ad lineam meridianam; quo etiam facto, extendit ut antea ferrum suum supra Orientis & Occidentis lineam, ut acus ad eandem currant: eandem operationem repetit tertiò, & ferrum suum motitat, efficitque ut & acus moveantur ac tremant; ex quo tremore & ex trina ad eandem Orientis lineam conversione colligit Mercurius, tertiam litteram C sibi fuisse indicatam. Post hæc quoniam littera H reperitur ad Meridiem in pyxide, & est in ordine quarta, acus autem magnetica jam quiescit (si Mars ferri cuspidem deorsum vertat) in linea meridiana; Mars motitando ferrum suum trahit utramq; acum seu lingulam nunc ad dexteram, nunc ad sinistram dictæ lineæ, tandemque quiescere permittit, versâ ferri cuspidem deorsum; ex quo colligit Mercurius, unam è quatuor litteris ad Meridiem scriptis indicandam fore. Et quia, ut dixi, littera H est quarta, quater repetit jam dictam operationem, indeque colligit Mercurius quartam litteram sibi indicatam fuisse. Simili ratione procedit Mars in aliis litteris indicandis; potestque hac praxi intra brevissimum temporis spatium quodvis secretum amico absenti manifestare.

Hæc supradictus Auctor *Janus Hercules*. Alii tamen apud P. Kircherum loco citato ex *Arte Magnetica* volunt, pyxides fabricari debere Lunâ decrescente, chadid seu ferra horâ Martis, acus horâ Mercurii; & has ex auro, argento, ferro, cupro, aliisque metallis, horâ Solis & Mercurii simul mistis ac liquefactis.

§. II. Refutatur Artificium hæctenus explicatum.

Quæcunque hæctenus dicta sunt, repugnant sanæ Philosophiæ, naturæ magnetis, & experientiæ. Nam *Primò*, quæ de quatuor magnetum generibus dicuntur, quorum unus operationes suas exerceat versus Meridiem, alter versus Septentrionem, tertius versus Ortum, quartus versus Occasum; conficta sunt, & quotidiana experientiæ repugnant. Unus & idem magnes uno polo

polo suo attrahit ferrum, aliter repellit; unus & idem unum polum Boreæ, alterum Austro obvertit; unus & idem uno in loco axe suo meridianæ lineæ incumbit, alio in loco ab ea declinat Orientem vel Occidentem versus, hinc magis, alibi minus. Hæc & similia docet experientia, uti fusè docuimus in *Magia Magnetica*, quæ est liber 3. Partis 4. *Magiæ Universalis*: illa verò quæ præcedenti §. ex aliis retulimus, experientiæ repugnant. Quod quia deprehenderunt, ne falsitatis arguerentur, tot ac tam mirabilibus mysteriis, tam peregrinis materiis, tam abstrusis operandi modis, artificium involverunt. Sed quò plura & abstrusiora præscribunt, eò se magis reddunt suspectos.

Secundo, si ferrum præscriptà ab Auctoribus præcedenti §. relatis arte præparatum, ciet acum magneticam uno, duobus aut etiam tribus milliaribus distantem; facit id utique virtute magneticâ, quam à magnetibus, quibus affricatum fuit, accipit: Virtus autem magnetica omnis certam ac determinatam habet activitatis spheram, eò majorem aut minorem, quò magis aut minùs præstans est illa virtus: & tamen si corroborari possit armaturâ quadam ferreâ, aut chalybeâ, uti nunc passim constat; nunquam tamen hæctenus ullâ industriâ humanâ adeo corroborari atque augeri potuit, ut ultra aliquot palmos, nedum ultra aliquot milliaria sese diffunderet; quidquid inaniter se jactitent aliqui de nescio quibus artibus id præstandi, quos retuli & refutavi in *Magia Magnetica Syntagm.* 4. Cap. 3.

Sed audiamus quid P. Kircherus de pyxide præcedenti §. descripta, ejusque virtute sentiat in *Arte sua Magnetica*. *Alii, inquit, ut fidem nugamentis suis adstruant, quadruplex magnetis genus ad Chadia illud suum (ita enim vocant chalybem, seu ferrum magnete affricandum, ex Arabica voce chadad, quod ipsi tamen nesciunt, ferrum significante) animandum adhibent. Primum vocant Almagritum, cujus tactum ajunt tribuere vim se vertendi in Austrum: Secundum Theamedem, cui in Boream se vertendi vim tribuunt, mendacio Plinii, Theamedem repulsivâ vi ferri pollere asserentis, sibi patrocinantes. Tertium genus*

magnetis vocant *Almas largont*, quod vocabulum ego è culina diaboli verius produsse existimo. quam ex Orientalium linguarum, ut illi nugantur, tribu, apud quas nullam hujus nec radicem, nec stirpem invenio. Atque huic *Almas largont* vim in Orientem se vertendi tribuunt. Quartum *Calamitrum* vocant, non *Calamitam*; timebant enim, ne noto nimis vocabulo fraus innotesceret: addito igitur R, masculini generis faciunt vocabulum, quo alterius speciei lapidem, quam nulla unquam Gemmariorum Schola vidit, aut novit, licentiosius jactare possent. Atque huic vim se vertendi in Occidentem tribuunt. Hisce phantasticas istas pyxides suas animari, & usui esse posse, depradicant. Nihil ego inter cetera hoc in sulso machinamento stultius & ineptius me legisse memini, in quo quot voces, tot mendacia & imposturas, cum rerum magneticarum ignorantia prorsus crassa, reperio. Volebant illi cudere mirabile quiddam, & à seculo inauditum; quod dum nescirent, à verbis barbaris & prodigiosis, prorsusque demoni profligando aptis, scientia reconditiore formam aucupantes, secretum ita occultare studuerunt, ut nec ipse quid dicerent, intelligerent. Lector autem ex hac veluti Chymici ingenii nota pudendam cognoscet imposturam. Legerant ii apud *Pergrinum*, magnetem duobus punctis contrariis in *Boream* & *Austrum*, aliisq; in *Ortum* & *Occasum* ita vergere, ut magnes suis polaribus punctis perfecte libratus perpetuum gyrationis motum ad motum cæli sortiatur. Hoc igitur portentoso lapidis motu incitati, aliquid amplius, id est, mendacium mendacio addere, videlicet pyxides cryptologicas, quarum ope duo ad quodvis spatium inter se de quovis negotio tractare possent, conficere attentarunt.

Hactenus *P. Kircherus*, qui in *Appendice* ad suam *Polygraphiam* *Disquisit. ult.* ait, fortassis *Trichemium* putasse, se per duas ejusmodi pyxides magneticas efficere posse, ut sedenti in carcere, & tribus infra terram milliaribus abscondito, mentis suæ arcana manifestaret. Quod ego tamen minimè credo: nam sanctè affirmat, & in animam suam jurat, modum suum esse purè naturalem, & paratum se promittit ad re ipsâ exhibendum quod promiserat: quod per pyxides magneticas nequaquam præstitisset.

E R O T E M A XIII.

*An per reciprocam sanguinis aut carnis insitionem
possint duo inter se quantavis distantia dissi,
loqui inter se.*

IAnnus Hercules de Sunde in sua Steganographia aucta, lib. 3. cap. 5. alium proponit modum, certâ experienciâ, ut air, sibi notum (ut retuli etiam in Magia Cryptographica Syntagm. 5. cap. 2.) quo duo amici ad centum, mille, & plura milliaria disjuncti, communicare sibi mutuò possint occultos animorum conceptus, de quibus antea inter ipsos convenerit. Modus ex dicto Auctore hic est.

§. I. Proponitur Artificium.

ANtequam amicus ab amico, ver. gr. Mercurius à Marte discedat in regionem aliquam longinquam, aperiat phlebomicâ lanceolâ, aliove instrumento, in loco brachii carnosio, vulnus exiguum, sanguineque expresso, ac bene loto vulnere, instillet Mars aliquot sanguinis simili modo è brachio digitive sue elicit guttas. Quo factò, claudatur vulnus, beneque ligatum sanetur. Idem faciet reciprocè Mars cum sanguine Mercurii. Conveniant deinde inter se, quæ sibi mutuò nuntiare velint, ver. gr. primò, *Prosperâ utor valetudine;* secundò, *Periculose decumbo;* tertio, *Mortuus est Pater tuus.* &c. & à se invicem discedant. Quotiescunque jam Mars absenti Mercurio, nuntiare quid volet, acupungat aliquoties locum vulneris sui; & illicò Mercurius quoq; se pungi sentiet, & ad auscultandum se præparabit. Tum si de primo illorum, de quibus convenerunt, monere vult Mars Mercurium, unicam sibi acu puncturam imprimet in illo loco, in quo Mercuri sanguinem sibi insitum gerit; & unicam similiter puncturam sentiet Mercurius absens in suo loco, cui insertus est sanguis Martis; si de secundo, duas puncturas sibi Mars imprimat; si de tertio, tres, &c.

*Sanguinis
reciproca
insitione
an duo di-
stantes in-
ter se loqui
possint.*

Hæc breviter excitato Jano Hercule. Ejusdem artificii meminit P. Kircherus in Arte Magnetica, & in Appendice ad Polygraphiam Disquis. ult. ubi ait, aliquos velle institui debere per mutuam carnis infitionem.

Monet tamen Janus Hercules, quàm admirabile est hoc artificium, tam esse periculosum. Nam quotiescunque unus amicorum in eo loco brachii, ubi sanguis aut caro alterius inferta est, dolorem, aut morbum, damnumve quodcunque sentiet; sentiet & alter: et si unius vitâ functi brachium corrumpetur & alterius brachium. Opinionem suam confirmant sequenti ridiculâ historiâ, quam & P. Kircherus utroque loco adducit, & ego sæpissimè in Italia & Sicilia contigisse audivi Tropeæ Calabriae oppido. Sunt (inquiunt) in Italia (Tropeam Calabriae oppidum innuere videntur) Chirurghi, vel potius Rhinurgi præstantissimi, qui mutilatos aut tabe consumptos nasos egregiè reficiunt, hoc modo. In mutilati, alteriusve hominis brachio, loco maximè carnosum, vulnus aperiunt, & brachio vultum mutilati applicant, atque alligant, ut nasi locus loco vulneris congruat, donec post multos dies brachio vultus ad crescat, atque adhaerescat: quo facto, excindunt carnis frustrum è brachio, ac circumcisum efformant in nasum. Contigit autem aliquando, ut vir nobilis ac dives, nescio quo infortunio, naso amisso magnam præ se ferret turpitudinem, ideoq; omnibus modis de naso ficticio arte reficiendo laborarent. Advocatus itaque quidam nasorum reficiendorum peritiâ jam dudum celebris Chirurgus, vel meliùs, ut supra dicebam, Rhinurgus, conventionem factâ novi productionem nasi promittit Nobili, nec minùs impigrè in opus deducit memoratâ paulò antè industriâ. Alterius nimirum pecuniâ conducti viri robusti carnosio rem lacerti partem incidit, incisam pulpam nasi mutilati ichnographiæ admovet, ligatamque suis in tantum fovet medicamentis, donec brachium nasi loco accrevisse advertit: tum arreptis forficibus ad cretam brachii pulpam, quantum naso efformando sat erat, excindit, excissamque nunc superfluum refectione, nunc asperiorum partium eliminatione, modò lævigatione, tandem in opus nasi restaurat. Accidit autem, ut post multos

multos elapsos annos vir ille, qui naso materiam præbuerat, obiret ac in sepulchro computresceret. Et ecce, eodem tempore dolere primùm, dein putrescere nasus ficticius incipit, tandemque, ne reliquum vultum gangræna inficeret, reseccare totum oportuit.

Hac igitur ridiculâ historiâ prædicti Auctores opinionem suam de sympathica Steganographia stabilire nituntur. Addit Janus Hercules citato loco, se experienciâ deprehendisse, dictam Steganographiam successum habere, sed causam rei se nescire. Hic quoque ante annos aliquot non nemo affirmavit, idem se experienciâ deprehendisse.

§. II. Examinatur Artificium.

SI verum esset relatum artificium, possent duo inter se difficili non solum de rebus antea conventis, sed de quacunque re mutuò sibi loqui, si nimirum pro prima Alphabeti littera unicam sibi loquens infligeret puncturam, pro secunda duas, pro tertia tres, & sic consequenter. Quæ res certè esset utilissima, magnis præsertim Principibus ac Regibus, qui apud diversos ac remotissimos alios Principes Legatos habent. Si enim Cæsar ver. gr. duos sibi fidos prædicto modo stigmatizatos haberet, & unum apud se retineret, alterum Constantinopolim ad Legatum suum ablegaret; posset quovis tempore Cæsar per suum discere quid Constantinopoli ageretur, & Legatus per suum scire Cæsaris voluntatem. Quòd si uterque brachiis aut coxendicibus litterarum Alphabetarum figuras lanceolâ phlebotomicâ incisas haberet, reciproca sanguinis infusione repletas; possent hi expeditissimè de quavis re, quantum vis prolixè inter se loqui. Operæ ergo pretium foret non leve, inquirere non indiligenter, num vera ac legitima sit sympathica hæc Steganographia, de qua loquimur. Sed cum res hæc longiorem requirat indaginem, quàm ut paucis pagellis concludatur, abstinere, solumque adverto, tametsi experienciâ foret comprobata, & quidem frequenti, non continuò

sequi, legitimam, hoc est, naturalem ac licitam esse, ac sine occulta dæmonis cooperatione: multa enim contingere videmus, quæ non nisi stolidi aut impii naturaliter fieri afferunt, ut dum prolatis quibusdam verbis, aut appensis quibusdam chartis certo characterum ac signorum genere insignitis, aut aliis mediis invulnerabiles, & ut loquuntur, impenetrabiles se multi reddunt, aut febres aliosque morbos depellunt: dum vetulæ verrucas sanant, eas saltem ter ad radios Lunæ manu leviter fricando: dum gibbos curant, decerpendo radiante Lunâ folium hederæ arboreæ, gibbosiq; penitus denudati, & in genua provoluti, gibbum ter folio illo fricant, atque inter fricandū precatiunculam quandam ad murmurant: dum verrucas in manu habentes, tot pisa in puteum conjiciunt, quot verrucas numerant, & ocyus, ne sonum in aquam incidentium audiant, se subducunt, & verrucas sanant. Omitto sexcenta alia hujus farinae exempla. Non omnia quæ fiunt, Naturæ viribus fiunt; virtute inquam illarum rerum, quæ ad effectum producendum adhibentur; sed alia sæpe superior causa occulte ad rerum illarum præsentiam operatur.

Quæro deinde, quâ ratione acus Romæ pungens locum vulneris Martis, pungat & Constantinopoli locū vulneris Mercurii? An agendo in distans? at hic operandi modus virtutem agentium naturalium excedit, ut jam diu omnis sana philosophia asseruit, aque probavit. An agendo per medium? quid ergo producit in medio? unde tanta in agendo vis, ut ad quamvis distantiam, etiam mille & plurium milliariorum, id quod producit, per medium diffundat? unde celeritas tanta, ut momento eodem temporis, quo Romæ Mars pungitur, pungatur & Mercurius Constantinopoli? Ajunt actionem esse sympatheticam, qua duo consimilia Naturâ conspirante modo nobis ut plurimum occulto, consimiliter afficiuntur. Non nego sympatheticas actiones; ajo tamen, illas Naturæ limites non excedere: cum ergo Naturæ lex sit, ut in omni actione ac passione, sive manifesta nobis, sive occulta, contactus intercedat inter agens ac passum, contactus inquam vel immediatus & suppositi, ut scholæ loquuntur.

sive

five mediatus & virtutis, per virtutem scilicet aliquam ab agente per medium usque ad passum diffusâ; redeunt interrogationes paulò antè propositæ.

Quoniam ergo nullæ rationes occurrunt, aut suggeruntur, quæ Steganographiam per reciprocam sanguinis aut carnis infusionem probeant esse naturalem, multæ verò, quæ Naturæ limites illam excedere ostendunt: Statuo minimè naturalem esse, hoc est, minimè fieri naturaliter ut interventu acûs pungentis, & carnis punctæ in uno hîc existente, illicò sequatur punctura carnis alterius quanto vis intervallo diffici; sed si quando effectus sequitur, non nisi cacodæmone cooperante sequi.

Historiam de nasorum refectione sæpe in Sicilia & Italia narrari audivi, & Tropeensibus per jocum aut sarcasmum objici, nec ab his sine stomacho audiri, utpote rem sibi probrosam, Quæ causa est, cur bis Tropeam in itineribus meis pertransiens, in rei veritatem inquirere non fuerim ausus. Verisimilius mihi est, fabulam esse.

Annotatio I.

Alium modum manifestandi quidlibet alteri, quòvis in loco, quantumvis dissito commoranti, ac celerrimè quidem, proponit sitatus antea Auctor Janus Hercules lib. 3. Steganographiæ aucte cap. ult. quem ait se multis precibus obtinuisse à quodam amico, què illum in Anglia didicerat. Ne tamen ad cujuslibet rustici (ait) aut desidii homunculi notitiam perveniat, proponit illum Steganographicâ scripturâ, idiomate Germanico, litteris variè transpositis, hortaturque Lectorem ut scripturam legere juxta regulas à se traditas conetur. Mihi otium non suppetit ad id faciendum. Ni tamen fallor, in eo consistit, ut duorum amicorum, qui Steganographiam modo illo exercere volunt; sanguis Augusto mense è venis per phlebotomiam elicitus misceatur, distilleturque, & ad artificium nescio quomodo peragendum adhibeatur. Quodcumq; tamen sit artificium, non erit melioris nota quàm præcaens.

Steganographiæ
sympatheticæ aliæ
indicantur.

Annotatio II.

Videtur quoque sanguinis distillati usus non esse absimilis illi quem prescribit Joannes Baptista Porta circa unguentum suum sympathicum, quo putat posse duos à se invicem distitos loqui inter se. Modum prescribit Porta in supra citato libro manuscripto Secretorum ad Rudolphum I. Cesarem. Verba Porta latine ex Italico idiomate dedi in *Magia Cryptographica Syntagma*, 5. cap. 3. Summa hæc est. Accipe a ungula porcina aut ursina, & sanguinis humani expurgati à phlegmate ac bile, an. uncias duas; cranii hominis violenter mortui, lumbricorumque optimè lotorum cum sale, & in olla optima cooperta combustorum, an. unciam unam & semis; lapidis hematitis drachmas duas; vini rubri adstringentis libram unam cum dimidia. Ex his fiat unguentum, & dividatur inter duos amicos à se invicem distitos. Accipiantur deinde duo cultri novi, unus ab uno in suo loco, alter ab altero in suo; perungantur hoc unguento, liniendo à mucrone usque ad manubrium; serventurque in loco tepido. Habeant amici vulnera in eodem corporis loco, veluti in brachiis; conserventur semper nova, ac sanguinea; & ut non sanentur, imponantur super ea hedera frondes, ut fieri solet in ruptoriis ut vocamus. Circa vulnera fiant duo circuli, magni vel parvi, secundum plagam quantitatem; & circa eos describatur Alphabetum eodem ordine & modo, ejusdemque mensuræ & capacitatis. Quando igitur unus duorum amicorum alteri vult quidpiam significare, ver. gr. vult dicere Valeo; extendat cultrum suum super circulum, & pungat acie cultri primò supra V, deinde supra A, tum supra L, supra E, supra O; eodemque tempore amicus absens sentiet puncturas supra litteras sui Alphabeti. Sed necessarium ulterius est, ut culter uterque alterutrius sanguine sit tinctus, nempe illius meo, & meus suo. Hæc Porta, contra omnem sanam Philosophiam.

EROTEMA XIV.

*Unde Trithemius hauserit mira illa, quæ in sua
Steganographia promisit.*

Hanc quæstionem sibi ipsi proponit Trithemius in Epistola ad Arnoldum Bostium, allata suprâ Erotem. I. & respondet ut sequitur. *Si quæris, unde mihi ista quæ nemo alius novit? audi. Non ab homine, neque per hominem ista didici, sed per revelationem nescio cuius. Cum enim præsentis anno quadam vice cogitare quid novi posse invenire, quod omnes lateret; capi cogitare, si ea possem excogitare quæ dixi miranda. Cum post longam phantasiam tanquam de re impossibili penitus desperarem; dormitum eâ me nocte reposui, fatuitatem meam ipse mecum deridens, quàm impossibilia quærere tentaverim. Eâdem nocte mihi adsistit quidam dicens: Non sunt vana, ô Trithemi, quæ cogitasti, quanquam tibi sint impossibilia, quæ nec tu, nec alius tecum poteris invenire. Dixi, ad eum. Si ergo possibilia sunt, dic obsecro, quomodo fieri, quæ multis diebus frustra cogitaveram de facili possent. Ecce coram Deo, quia non mentior, sed veritatem dico, &c.*

*Trithemius
unde hauserit
arca sua
steganographica.*

§. I. Trithemius arguitur à nonnemine.

HÆc Trithemii verba expendens nonnemo, miris, & ut mihi videtur, verè indignis modis exagitat Virum optimum ac religiosissimum; conaturq; probare, revelatorem illum non potuisse esse bonum Angelum, ac proinde eum vel à dæmone edoctum (quamvis hoc expressè non pronunciet) vel à somnio illusum. Sic enim post allata Trithemii verba discurret. *Ubi vox, nescio, necessariò vel Agathangelum, vel Cacodæmonem notat. Si per priorem; certè Angelum artem docuisse innumerorum malorum causam, nullo modo admitti aut debet, aut potest, cum per Angelum bonum mala suaderi, non dicam blasphemum, sed prorsus*

Ac m

dia-

diabolicum sit credere; adeoque vel ipse fateatur folio 104. Polygraphia, consultò se Steganographia Opus aeternis tenebris consecrare, quòd per eam multa mala fierent, proditioes, deceptiones, fornicationes, & quaecunque vellent homines mala, Pergit: Scit itaque hæc omnibus sæculis inaudita per revelationem divinitus datam accepit; quomodo paulò ante ea pura naturalia, sine deceptione aliqua, sine superstitione, sine arte magica, sine invocatione seu ministerio quorumcunque spirituum, id est, sine revelatione asserere est ausus? Manifesta itaque se contradictione implicat. Uti enim revelatio divina altioris considerationis est, quàm ut natura competere possit; ita quoque revelationem hanc minimè veram & realem haud quaquam à Deo immissam, sed purum putum præoccupata phantasia somnium fuisse audacter assero. Et iterum infra: Cum itaque ex istis constet, revelationem hanc Trithemio de arte inaudita factam, non divinam fuisse, nec per Angelum à Deo inspiratam, sed somnium fuisse, atque adeo necessario vel propria confessione suã naturalem fuisse; patet, non talem tamen, quæ omnes humani ingenii limites excedat, cum inter naturæ terminos consistat, & ad eam variã naturæ potentiarum viriumque combinatione, ingenio pollens quispiam, facile pertingere queat. Hæc cum asperius dicta animadverteret, hisce lenire conatur: Quæcunque de nimia Trithemianorum promissorum amplificatione huc usque dicta sunt, illa nequaquam eo à me animo dicta velim, ut de viro religiosissimo, nec non de Republica litteraria optimè merito, fama & honori quidpiam detractum velim; hoc enim quàm procul à me absit, ii qui me meaque omnia nôrunt, sciunt: sed eo tantùm animo Trithemii audacius forsàn, quàm oportuerit, arcana omissa aut promissa, ad trutinæ examen revocare visum fuit, tum ad nonnullorum Principum laudabili curiositate insimulatorum votis satisfaciendum, tum ut nuda veritatis imago ab omni verborum fuce & lenociniis se-juncta, unice locum possideret, &c.

§. II. Trithemius defenditur.

Trithemius
defendi-
tur.

Ad dicta præcedenti §. responderet Trithemius, Primò, credere se, nò malo animo, & famæ suæ detrahendi intentione, dicta esse

esse quæ dicta sunt, interim tamen famam apud incautos lectores vehementer diminutam, dum vident, quæ olim aut inconsideranter à minùs intelligentibus, aut maligne à malevolis in se jactata sunt, tanti viri calculo approbari. Ignoscere tamen se ut olim, ita nunc quoque omnibus sinisteriùs quid de se suspicantibus, cum veritas & innocentia pro se stent.

Responderet *Secundò*, scripsisse quidem se fol. 103. & 104. Polygraphiæ suæ editæ Coloniae in octavo, ut vocant, Anno 1571. loquentem de iis quæ in Steganographia promiserat; *nec decet ista alios scire, quàm Principes, alioquin multa per ea fierent mala, traditiones, deceptiones, fornicationes, & alia quaecunque vellent homines mali: addidisse tamen mox: Sed bene utentes arte, multa per eam bona reipublica facere possent.* Itaque se non voluisse Opus steganographicum in occulto manere, quòd mala ac perniciosà contineat, sed quia, dixit fol. 26. ejusdem Polygraphiæ, in Prefatione ad Maximilianum. I. Cæsarem. *Satius judicavit, omnia mirabiliter inventa perpetuo damnare silentio, quàm magica vel ne-romantica perniciose superstitionis notam, falsà etiam hominum estimatione incurrere.*

Responderet *Tertiò*, esto Steganographiam suam, si edita fuisset, multorum malorum causam futuram fuisse, inde tamen non sequi malam illam fuisse, aut mala in se comprehendisse, sed tantùm perverfos homines illà abuti ad mala patranda potuisse: multò minùs sequi, illam non potuisse revelari ab Angelo bono. An non & Gentiles, & hæretici ferè omnes, quotquot in Christi Ecclesia hætenus fuerunt, abutuntur sacrâ Scripturâ Prophetis & Apostolis inspiratâ, ad suos errores defendendos, ac cõfirmandos, ad Christi fideles seducendos, ad ejusdem Ecclesiã dilaniandam, & si possent, destruendam? Nemo tamen unquam rectè dixerit, illam à Deo nec relevatâ esse, nec relevari potuisse. Adderet perverfos posse abuti & sua, & aliorum Polygraphiã ac Steganographiã; neminem tamen prudenter judicare posse, illas esse malas, aut mala comprehendere ac docere: & si quis illorum qui eas scripserunt, & in lucem emiserunt, de sua assereret, fuisse sibi ab Agathangelo revelatam: non rectè falsitatis argueretur ex eo capite,

quòd causa multorum malorum possit esse. Legatur Apologia Trithemii pro sua Stegano-graphia, quam invenies in Polygraphia fol. 82.

Responderet *Quartò*, cum nocte quadam post longam phantasiam tanquam de re impossibili penitus desperatam dormitum ivisset; visum sibi in somno ad stare quempiam qui ex ordine docnisset eum omnia illa mirabilia de quibus ad Bostium scripsit, tanquam ad virum doctum, religiosum, prudentem, & sincerum amicum. Non credidisse autem fuisse Cacodæmonem, quoniam nullum unquam cum illo commercium habuerit, aut habere voluerit: nec voluisse dicere, Agathangelum fuisse, ne se jactare videretur de Angelica visione sibi facta. Scripsisse itaque, nescire se quis fuerit ille qui in somno apparuerat, & rem totam prudenti judicio sinceriamici reliquisse, quem sciret eam in meliorem partem interpretaturum. Cæterum nunquam se in animo habuisse, ut res illa evulgaretur; nec futurum fuisse unquam ut evulgaretur, si Epistola Bostium in vivis reperisset.

Rem autem ita se habere, hoc est, non eo animo se visionem illam in somno sibi factam scripsisse ad Bostium, ut evulgaretur, nec unquam se illam evulgaturum fuisse, colliget prudens ac benevolus Lector ex alia simili visione facta Trithemio adhuc adolescenti in somno, cujus tamen nullibi in scriptis suis mentionem facit, quod sciam. Rem narrat Chronicum Spanheimense ad Annum Christi 1483. ex relatione tamen ipsius Trithemii; nempe cum esset annorum quindecim, & miro litterarum addiscendarum studio flagraret, ad unius anni spatium jejuniis & orationibus continuis duo quadam maxima à Domino Deo cum maxima intentione postulavit, quorum alterum fuit scientia scripturarum, alterum nulli unquam se manifestasse dixit. Ecce quadam nocte juvenis claro habitu sibi dormienti ad stare visus est, qui habebat duas tabulas in manibus, quarum altera scripta litteris, altera depicta quibusdam imaginibus fuit; qui dixit ad eum: Elige ex his duabus tabulis unam quam volueris. Qui mox amore litterarum, quas adhuc penitus illo tempore ignorabat, etiam dormiendo flagrans, eam tabulam, qua scripta videbatur, elegit. Cui

juve-

Juvenis, qui apparuerat, dixit: Ecce Deus orationes tuas exaudivit, dabitque tibi utrumque quod postulasti, & quidem plus quam petere potuisti. Alterâ mox die, nihil eo de visione cogitante, mirabili occasione data fuerunt principia litterarum cupienti. Aliquandiu ergo in eadem villa (Tritheheim patria ejus) operam dedit litteris in occulto, quia publicè metu parentum non audebat, &c.

Hanc visionem si litteris commendasset Trithemius, & scripsisset sibi adstitisse noctu dormienti juvenem nescio quem; nullus certè Lector suspicaretur juvenem fuisse Cacodæmonem; aut visionem fuisse meram Trithemii phantasiam: nec quisquam prudenter judicaret, non fuisse Agathangelum qui litteras & Scripturarum scientiam promississet, quòd ambæ multorum malorum causâ esse queant.

Responderet *Quintò*, & adversarium urgendo diceret: Tu audacter asseveras, visionem meam fuisse *purum putum præoccupatæ phantasia somnium*; cur ergo scribis, vocem, *nescio*, necessariorò vel Agathangelum, vel Cacodæmonem notare?

Responderet *Sextò*, nullam se contradictionem admisisse, si dixisset, se mirabilia illa, quæ in Steganographia promissit, per revelationem divinam mediante Angelo bono didicisse, & nihilominus omnia naturalia esse, ac sine ulla superstitione, sine arte magica, sine spirituum invocatione & ministerio exhiberi posse: non enim repugnat, naturales scientias à Deo, aut ab Angelo bono revelari. Quod si fiat, naturales sunt scientiæ illæ, non secus ac si ab homine, aut propriâ industriâ fuissent acquisitæ; naturales inquam quoad substantiam, non quoad modum. Dato ergo etiam quod ab Angelo bono fuerint mihi revelata illa steganographica; adhuc rectè asseruisssem, fuisse naturalia, secundum substantiam videlicet, tamen non quoad modum.

Hæc & similia modestissimè pro se responderet Trithemius, si tamen responderet, & non mallet sibi adversantes placare silentio.

EROTEMA XV.

*Quomodo Trithemius potuerit prestare illa qua
promisit in quarto libro Steganographia.*

*Trithemius
quomodo
prestare
potuerit
qua pro-
mittit, in
quarto li-
bro Stega-
nographia.*

IN saepe citata Epistola ad Bostium, hæc promittit Trithemius, in libro quarto suæ Steganographiæ tractanda. *Quartus liber continet multa stupenda experimenta, sed purè naturalia. Mentem videlicet meam indicare possum scienti artem meam inter edendum, vel sedendum cum aliis, sine verbis, sine nutibus, quàm latissimè voluero, etiam inter loquendum, predicandum, ludendum in organo, vel cantandum, sine impedimento actionis alterius cuiuscunque, ita ut predicando bona & sancta, indicem non verbis, non signis, non nutibus, cuiuscunque scienti artem, latissimè quidquid voluero, etiam clausis oculis.* Sensus est: dum comedo, dum sedeo cum aliis, dum loquor, dum prædico, ludo in organo, canto, aut quidvis aliud facio, possum mentem meam indicare scienti artem meam, sine impedimento dictarum & quarumcunque aliarum actionum, idque quàm latissimè & plurimis modis, sine verbis, sine signis, sine nutibus.

P. Athanasius Kircherus in suæ Polygraphiæ novæ Appendice, Disquisit. 3. ait, has voces Trithemii, *non verbis, non signis, non nutibus*, sumendas esse *non sub colectivo, sed distinctivo sensu*, nihilque aliud velle Trithemium, quàm quòd arcana mentis indicare possimus alteri aliquando nutibus sine verbis, aliquando verbis sine nutibus; aliquando & verbis & nutibus sine signis, aliquando solis signis, sine nutibus & verbis. Causam suam interpretationis adsignat, quòd impossibile putet ut quidpiam alteri sine nutibus, verbis, signis, aut sine ullo vitali membrorum motu significetur: *nisi magicum (subdit) quoddam speculum hinc adducamus, quo Cornelium Agrippam usum fuisse ferunt, quo omnia arcana alteri representabantur; quod absit ut de religi. sissimo Vi- ro suspicer.*

Ego existimo, verba Trithemii esse æquivoca, & in sensu aliquo verissima, ac proinde in eo sensu intelligenda esse ut sonant.

Mo-

Moveor, quòd similia paradoxa multa promiserit idem in Polygraphia sua similibus verbis, quæ sano sensu intellecta sunt verissima, alio verò sensu videntur incredibilia. Adde quod magnis Principibus artem illam suam promiserit, & paratus fuerit doctorum virorum examini subicere. Noluerit ergo Principibus imponere, & exponere se risui, aut periculo deceptoris notam incurrendi.

Quæ autem fuerit Trithemii ars, non constat. Quid si in hunc sensum interpretemur ejus verba? *Possum inter edendum, sedendum, loquendum cum aliis, prædicandum, ludendum in organo, cantandum, &c. mentem meam alteri artem scienti, ac præsentanti, indicare sine signis, nutibus, verbis, à prædictis actionibus distinctis, ita ut ex illis ipsis signis, nutibus, verbis, quibus actiones illas exerceo, alter præsens illasque vel videns, vel audiens, mentem meam intelligat.* Rem exemplis declarabo sequenti Classe, ad quam pergo.

Annotatio.

Speculi magici Agrippa mentionem fecimus suprà Erotemate 7. Mirabile exemplum alterius speculi magici retulimus in Physica Curiosa lib. 4. cap. 3. ex Jano Jacobo Boissardo. Ibidem invenies alia exempla ex Natali Comite, & Paracelso. Multa quoque de similibus speculis dedimus in Magia Universali Par. 1. lib. 8. Syntagmate 3. cap. 1. & 2. & Parte 4. lib. 6. Syntagmate 1. cap. 2. §. 4. & 5. aliisque variis in locis.

